

VITA KAROLI MAGNI

(Procedencia: Rauschen, Gerhard, *Die Legende Karls des Grossen im 11. und 12. Jahrhundert*, Leipzig, Verlag von Ducker & Humblot, 1890, pp. 17-93)

De sanctitate meritorum et gloria miraculorum beati Karoli magni ad honorem et laudem nominis dei.

Etsi passim et varie odoris pigmentarii veneranda orthodoxi Karoli magni celebretur memoria eiusque sparsim per diversa terrarum spacia mirifice et magnifice scripta vulgentur, placuit tamen de tanto orto deliciarum, in quo consita sunt tot genera florum, carptim et breviter quedam odoramenta virtutum deligere, que sitibundis animis Christi fidelium in odorem suavitatis valeamus exhibere. Quia vero arguende temeritatis est nostre ariditatis canalem tanti fluminis torrentem sibi presumere, sperantes tamen in eum, qui ex ore infantium et lactentium sibi laudem perfecit, rosas quasdam et lilia de late patenti viridario excerpimus, que presenti opusculo pro loco et tempore inseruimus. Intendimus igitur succincte quedam insignia virtutum et celebrem gloriosamque miraculorum seriem in laudem dei et prefati piissimi imperatoris contexere, quatinus verus ille Christi cultor Fredericus Romanorum imperator vere augustus certior de sanctitate morum et vite beatissimi Karoli magni in amplius et perfectius gaudeat se solem illum trecentis annis et LI occultatum in lucem gentium divina cooperante gratia produxisse. Vere etenim speramus eum huius canonizationis auctorem a deo ad id preelectum, quem a primo illo iustissimo Karolo magno alterum magnum Karolum mundo credimus illuxisse. Egregia vero ipsius beati Karoli gesta et triumphalem bellorum eius hystoriam aliis relinquimus, que in cathalogo virorum fortium et in cronicis eiusdem multiphariam reperitur, cuius et nos officiosa sedulitate alias micrologum conscripsimus. Implorata igitur sancti spiritus gratia, que tarda nescit molimina, ad ampliandam laudem tante propaginis attingamus radicem huius ipsius plantationis, quam vere plantavit et irrigavit pater celestis. Ad evidentiam tamen subsequantium capitulatim totius summam operis predistinguimus.

Explicit prologus. Incipiunt capitula libri primi.

- I. Genealogie series beati Karoli.
- II. Visio Stephani pape.
- III. De vita et meritis beatissimi Karoli.
- IV. Quanto affectu omnium imperator factus sit.
- V. De clavibus sepulchri imperatori transmissis.
- VI. De primitiis sui imperii deo consecratis.
- VII. De doctrina et eloquentia imperiali.
- VIII. De cura ipsius in iure poli.
- IX. De vigilantia ipsius in iusticia fori.

- X. Qualiter filium suum Ludovicum heredem paterne sanctitatis et regni Aquisgrani instituerit.
- XI. De condempnatione heresiarcharum Felicis et Elefanti.
- XII. De auctoritate Romane sedis adhibita.
- XIII. De abdicatione septime synodi.
- XIV. De pio affectu ipsius in ecclesiis edificandis.
- XV. Nomina vigintitrium monasteriorum secundum ordinem literarum distinctorum.
- XVI. De excellentia Aquensis ecclesie.
- XVII. De virtute hospitalitatis imperatorie.
- XVIII. De liberali munificentia elemosine imperialis.

Capitula libri secundi.

- I. De peregrinatione beatissimi Karoli in laudem dei facta et qualiter a Constantinopoli apud Aquile Capellam clavum et coronam domini attulerit.
- II. De expulsionem Iherosolimitani patriarche.
- III. De legatione ad imperatorem directa.
- IV. Exemplar epistole Iohannis patriarche.
- V. Exemplar epistole Constantinopolitani imperatoris.
- VI. Visio Constantinopolitani imperatoris.
- VII. Qualiter legati Parisius ad regem pervenerunt.
- VIII. De oraculo alitis voce quasi humana Francorum regem vocantis et iter premonstrantis.
- IX. De restitutione sedis Iherosolimitane.
- X. De munificentissima liberalitate Constantini.
- XI. De discretissima deliberatione consilii beati Karoli.
- XII. Amicabilis altercatio duorum imperatorum.
- XIII. Devota petitio penarum Christi.
- XIV. De theca spinee corone reserata.
- XV. Qualiter corona floruerit in odore suavitatis et splendore lucis inestimabilis.
- XVI. De susceptione florum in guanto imperiali.
- XVII. De guanto imperiali in aere mirabiliter suspenso.
- XVIII. Vox in laudem dei psallentium.
- XIX. De curatione trecentorum et unius.

XX. De quodam puero sanitati restituto.

XXI. De repositione reliquiarum in tergore bubalino.

XXII. De resuscitatione cuiusdam pueri et quadraginta novem aliorum salute apud Ligmedon.

XXIII. Que et quanta fuerunt miracula apud Aquas Grani.

XXIV. De convocatione principum et totius populi.

Capitula libri tertii.

I. Epistola Tulpini Remensis archiepiscopi Leobrando Aquisgranensi decano transmissa sanctitatis beati Karoli assertiva.

II. Qualiter sanctus Iacobus beato Karolo apparuit.

III. De subita ruina murorum Pampilone.

IV. De subversione idolorum Hyspanie et de ydolo Mahumeth.

V. Imperialis largitio ecclesie beati Iacobi et aliis venerabilibus locis collata.

VI. De ultione cuiusdam infidelis divinitus facta in exercitu cesariano.

VII. De hastis nocte in terra fixis et mane facto corticibus et frondibus vestitis.

VIII. De productione fontis a concavo torrentis.

IX. De duobus scutis sanguinei coloris apud Heresburch visis.

X. Qualiter duo iuvenes in albis vestibus apud Frigdislar visi sunt divinitus.

XI. De venerabili apostolatu sanctissimi Karoli magni.

XII. De celestibus presagiis augustalis transitus preambulis.

XIII. Exemplar beate memorie.

XIV. De salutari distributione testamentarie miseracionis.

XV. Nomina XXI metropoleorum illius temporis.

XVI. De glorioso, sed lacrimoso transitu ipsius.

XVII. Cognosce te ipsum.

XVIII. Diligite iusticiam, qui iudicatis terram.

XIX. De beata visione translationis.

Expliciunt capitula. Incipit liber primus.

I. Genealogie series beati Karoli magni.

Sanctus igitur Arnulphus cum esset in iuventute dux genuit Ansgisum ducem. Ansgisus dux genuit Pippinum seniore et ducem. Pippinus senior et dux genuit Karolum seniore et ducem. Karolus senior et dux genuit Pippinum, quem Stephanus Romanus pontifex consecravit et unxit in regem. Pippinus rex genuit Karolum, quem idem Stephanus in regem unxit, Leo vero Romane sedis antistes consecravit et unxit in imperatorem in ecclesia, ubi beatissimum corpus principis apostolorum Petri requiescit, die natalis domini nostri Jesu Christi.

O vere bone radicis bonam vere propaginem. O vere arboris bone bonum fructum. Revera enim misericordiam celi distillaverunt, dum deo dilectum Karolum super solium regni sessurum protulerunt. Vere in diebus illis misericordia et veritas obviaverunt sibi, iusticia et pax osculate sunt. Vere iusticia de celo prospexit. Verus enim sol iusticie in ortu huius sui luminis mirificum solem sue sancte protulit ecclesie. Unde illud egregium merito de ipso predicatur elogium: Karolus ecclesiis ut lune lumina solis. Hanc ex non esse Christo immutavit in esse. Tantas enim suis temporibus sancta dei ecclesia tempestatum sustinebat procellas, ut vere decorem suum immo sue statum essentie nullatenus obtineret, sicut ex oppressione sancte Romane ecclesie, que caput omnium ecclesiarum est, per expulsionem Stephani pape, per oppressionem Adriani, per cecationem quoque Leonis claret et aliis multis eorundem temporum argumentis. Qualis vero quantusque patronus immo pater ecclesiarum fuerit, liquet ex diversis gestorum, eius scriptis, ut vere in domino Jesu et spiritu sancto cum fiducia et caritate audeamus sperare et in spe bona et fide non ficta psallentes dicere, quia iste est de sublimibus celorum prepotentibus unus, quem alterum quasi Remigium manus domini consecravit matris in visceribus per mare huius mundi feliciter remigaturum et tam suis quam sibi portum salutis provisurum. Quia vero intentione precordiali in laudem prefati cesaris tota nostra suspirat intentio, ut manifestis rationibus ipsius gloriosa sillogizetur canonizatio, a sanctis et magnis viris predecessoribus nostris diu multumque affectata et longe ante prophetico spiritu et manifesta visione quam multis quos vidimus et audivimus mirifice revelata, dignum duximus aliquid de ipsius attingere meritis et virtutibus, sed prius libet exclamare:

Vox leticie.

O vere beati oculi, quibus hoc salutare dei videre datum est. O vere beata tempora, quando inestimabilis hec margarita super aurum et topazion diligenda revelata est. O ante omnes et pre omnibus ille imperator beatissimus, cuius diebus talis et tanta gratia divinitus est reservata. Sed iam quia magna ipsius cesaris merita et virtutes degustare cordis intentione et oris confessione statuimus, ab illo corollario apostolice visionis exordium sumere intendimus, quod divinitus beato Stephano pape eiusdem iustissimi Karoli primo consecratori in Francia apud pagum Parisiacum legimus obtigisse. Oportunum igitur nec superfluum iudicavimus, si epistolam ipsam hac de causa ab ipso papa scriptam huic operi interseramus.

II. Visio Stephani pape.

Stephanus episcopus servus servorum dei. Sicut nemo debet se iactare de suis meritis, sic non debent opera dei, que in aliquo per suos sanctos fiunt, sine suis meritis sileri, sed predicari, quia sic ammonet angelus Tobiam. Unde ego pro oppressione sancte ecclesie a rege atrocissimo et blasphemo et nec dicendo Haistulpho ad optimum et sancti Petri fidelem domnum Pippinum christianissimum christianissimi Karoli patrem in Franciam veni, ubi egrotavi usque ad mortem et mansi aliquod tempus apud pagum Parisiacum in venerabili monasterio sancti martiris subtus campanas, et vidi ante altare domnum Petrum et magistrum gentium domnum Paulum et nota mente illos recognovi de illorum surgariis et motionibus, et tercium beatum domnum Dyonisium ad dexteram domni Petri subtilem et longiorem. Dixitque domnus Petrus pastor: Hic frater noster postulat sanitatem. Et dixit beatus Paulus: Modo sanabitur. Et appropinquans misit manum suam ad pectus domni Dyonisii amicabilem respexitque ad domnum Petrum. Et dixit domnus Petrus ad domnum Dyonisium hilariter: Tua gratia est sanitas eius. Et statim beatus Dyonisius thuribulum incensi et palmam in manu tenens cum presbytero et diacono, qui in parte stabant, venit ad me et dixit michi: Pax tecum frater. Noli timere, non morieris, donec ad sedem tuam prospere revertaris. Surge sanus et hoc altare in honore dei et apostolorum Petri et Pauli quos vides dedica missas gratiarum agens. Moxque sanus factus sum et volebam implere, quod michi preceptum erat. Et dicebant qui ibi aderant, quod dementabam et delirabam. Quapropter retuli illis et Pippino, filio quoque eius Karolo magno suisque omnibus, que videram et quomodo san[at]us fuerim, et implevi, que iussa sunt michi omnia. Gesta autem sunt hec anno ab incarnatione domini septingentesimo quinquagesimo tercio, quinto kalendas Augusti, quo Christi roboratus virtute in ter celebrationem consecrationis prefati altaris et oblationem sacrificii unxit in regem Francorum Karolum, ob immensam suarum virtutum et meritorum quantitatem cognomento magnum.

Vere ammiranda, predicanda est et laudanda divine dignationis providentia. Vere investigabiles vie eius et ipsius iudicia abyssus multa. Vas enim electionis divina sibi dispensatio ministrum suum Karolum pre participibus suis elegerat, cuius tum misericordie clementia tum regali potentia sancta fulciretur, sublimaretur et confirmaretur ecclesia. Unde etiam beatissimus apostolorum Petrus, super quam petram filius dei vivi suam fundavit ecclesiam, presentis apostolice sanitatis una cum egregio doctore gentium gratia beati Dyonisii auctor extitit. Per illum namque apostolice dignitatis et nominis virum tres beate visionis consortes suarum ecclesiarum verum defensorem et patronum beatum Karolum magnum in regem ungi voluerunt, quem etiam generaliter sancte dei ecclesie quasi solem futurum in spiritu dei presciverunt. Iste enim est, qui summa vigilantia ubivis locorum sanctas ecclesias debita veneratione et paterna defensione observavit, vetustate collapsas restaurando, incuria neglectas reformando, omnibus, prout necessarium fuerat, misericorditer subveniundo, pontificibus et patribus earum tum consilio tum auxilio, interdum imperio, precibusque minas regaliter addendo, legatosque suos ad mandatorum suorum executionem probandam vel cogendam dirigendo, et per eos, ut imperata perficerentur, curam abhibendo, oportune importune secundum apostolum insistendo. Specialiter tamen et pre ceteris sacris et venerabilibus locis ecclesiam beatorum apostolorum Petri et Pauli Rome coluit, in cuius donaria multitudo magna pecunie tam in auro quam in argento necnon et gemmis ab illo congesta est, et eadem ecclesia per illum non solum tuta ac defensa, sed etiam suis opibus, quas ad hoc congregaverat, pre omnibus ecclesiis mirifice est ornata atque ditata, ut, dum videret eam, que caput est mundi, in capite quasi certa gerentem et quasi gemmata rutilantis auri corona fulgurantem, pre gaudio in vocem exultationis erumperet dicens: Domine, dilexi decorem domus tue et locum

habitationis glorie tue. Neque enim toto regni sui tempore quicquam duxit antiquius vel reputavit convenientius quam ut civitas Romana suo labore et opera veteri polleret auctoritate, et que Petrum et Paulum inter omnia ecclesie membra provectos quasi geminum spiritualiter gerebat lumen oculorum in eo, cui caput Christus est, corpore, materiali nichilominus super omnia regna mundi nobiliter emereret diademate. Quantam etiam prefatus imperator in beati Dyonisii ecclesiam sue munificentie et affectionis prerogativam augustali liberalitate esset collaturus, ipse non nescivit, cuius gratia predictus papa antidotum pristine sanitatis et gratiam optate salutis recepit.

Quia vero rationis ordo expostulat, ut meritorum gratia miraculorum glorie sit preambula, ante seriem signorum vite eius sanctitas et honestas morum aliquatenus prelibetur, quibus divina operante et cooperante gratia emeruit quampluribus fulgere ut ostendemus miraculis.

III. De vita et meritis beati Karoli magni.

Piissimus igitur Karolus in solio regni Francorum gloriose sublimatus tante fame preconio et aromatici odoris fragrantia in fines orbis innotuit, ut vere lucerna super candelabrum posita lucem accommodaret omnibus in domo domini et civitas in monte sita longe lateque esset manifesta. Unde nutu dei, qui sperantes in se non deserit, factum est, ut, quia in solio regni fidelis inventus est, ampliori nomine honoris et potentie excellentius et perfectius sublimaretur et, qui prius rex Francorum appellabatur, apice maiestatis imperatorie super nomen magnorum, qui sunt in terra, exaltaretur. Ipse enim primus ex genere Francorum imperator extitit. Magnificatus quoque est super omnes reges Francorum, qui ante eum fuerunt, divitiis, gloria, honore et nomine. Manus enim domini erat cum eo et omnia, que faciebat, divinitus prosperabantur. Quia vero virtutum eius et meritorum insignia, que non solum a primeva iuventute, sed etiam a prima regni gessit amministrazione, impossibile est summatim ne dum per singula perstringere, ab eis exordiamur, que excellentia imperiali decoratus firmiori et planiori sanxit auctoritate.

IV. Quanto affectu omnium imperator factus sit.

Quis autem ignorat, quanta omnium Romanorum et Francorum acclamatione, quanta totius cleri et populi devotione, quanta denique totius christiane plebis obsecratione nomen imperialis dignitatis fuerit assequutus? Unde constanter datum est intelligi, quia in manu sui fidelis sanctam ecclesiam divina bonitas sublimari voluit et christiani nominis dignitatem ampliari. Iam enim pagani Christi fidelibus insultare gaudebant eo, quod nomen imperatorium apud christianos minus vigeat. Evocatus igitur sanctissimus Christi pugnator ad urbem Romam propter indignam pape Leonis iniuriam apud Nomentum duodecimo ab urbe lapide ab ipso domno Leone et preclaris civitatis honeste suscipitur. In crastinum vero idem venerabilis Leo precedens eum ad urbem stansque in gradibus basilice beati Petri missis obviam Romane urbis vexillis, ordinatis etiam atque dispositis per congrua loca tam peregrinorum quam civium turmis, qui venienti laudes dicerent, ipse cum clero et episcopis equo descendente gradusque ascendente excepit et post orationem data benedictione in basilicam beati Petri cunctis psallentibus introduxit. Post aliquot denique dies habita questione in iniuriatores domni pape secundum legem Romanam dignam sancte ecclesie iusticiam fieri imperavit, et quia calumpniantes ad vindictam supplicii magnitudo exposcebat admissi, ut rei maiestatis capite dampnati sunt; sed piis precibus domni Leonis sententie rigore mitigato pro

magnitudine tanti facinoris exilio tamen perpetuo sunt deportati. Fidelissimus denique Christi athleta Karolus precibus sanctissimi Leonis pape et principum regni omniumque primatum ammonitus tam dei quam hominum voluntati consentiens cum magno universalis cleri plebisque tripudio in die sacratissima natalis domini nostri Jesu Christi ante altare beati Petri apostoli Rome a domno Leone papa est consecratus, ipso Leone coronam auream capiti eius imponente in iubilo cordis et oris Romano clero et populo una cum ceteris acclamante: Karolo augusto a deo coronato magno et pacifico imperatori Romanorum vita et victoria. Et post laudes ab apostolico antiquorum more principum magnificatus est atque ablato patricii nomine imperator et augustus appellatus est.

V. De clavibus sepulchri imperatori transmissis.

Eodem etiam tempore patriarcha Iherosolimitanus tanti principis glorioso preconio hilaratus, quin immo sancti spiritus instinctu ammonitus benedictionis causa claves dominici sepulchri ac loci Calvarie, claves etiam civitatis et montis Syon cum vexillo crucis triumphatori Karolo transmisit, cuius legatos magnificis solite liberalitatis muneribus imperator honoravit.

VI. De primitiis sui imperii deo consecratis.

Volens autem piissimus imperator Karolus imperii sui primitias deo regnorum omnium et christiani maxime protectori imperii consecrare misericordia sua pauperum et fidelium Christi non immemor, qui in universo eius imperio erant et iusticias pleniter habere non poterant, noluit inferiores palatii ministros transmittere ad iusticias propter munera faciendas, sed pre oculis habens deum dixisse: quod uni ex minimis meis fecistis, michi fecistis, elegit in regno suo boni testimonii viros, archiepiscopos, episcopos, abbates, duces quoque et comites, qui opus non haberent super innocentes munera accipere, eosque per omnes terminos sui regni et imperii transmisit, ut ecclesiis, viduis, orphanis et quibuslibet pauperibus et oppressis et cuncto populo iusticiam facerent, recte iudicarent, personas in iudicio non acciperent et sic ipse Christi bonus odor esset in omni loco, cum, que Christi essent, non que sua quereret. Tanti igitur militis Christi virtutes et virtutum ornamenta cuius lingua ferrea enarrare sufficiat? Erat quippe eius prudentie non prius quicquam incipere, quam rationabili deliberatione ipsum pensare et in singulis rerum exitus metiri, nil credens actum, cum quid superesset agendum. Deum quidem timere et mandata eius observare inicium sapientie alter Salomon asserebat; in ipso, qui est vita viventium et spes omnium in se credentium, exultabat; ad ipsum, quem nosse est vivere, cui servire est regnare, mentem, verbum et operationem dirigebat. Sanctam dei ecclesiam regere et defendere, christiane professionis nomen et honorem ampliare summopere studebat. Dotes autem animi ipsius et summam mentis eius constantiam utrumque statum mundi lance pensantem equali in re domestica et familiari, in negotio quoque publico et generali secundum continentiam beate ipsius hystorie quis non ammiretur? Quanta vero patientia, ut alia omittam, simultates et invidiam fratris sui post decessum patris sui sustinuit? Quam misericordie, quam iusta dispensatione dei duas coniurationes in se factas agnovit et agnitas in melius revocavit in miseratione et iusticia eas diiudicans? Quanta etiam veneratione et reverentia matrem coluit, que etiam apud ipsum in summa concordia consenuit, ut secundum preceptum evangelicum honorando matrem longevus esset in terra viventium; fratribus et sororibus et omnibus propinquis indeficienti misericordia aderat; sacerdotes ut patres honorabat; populum ut filios

diligere, superbos refrenare et corrigere studebat, triumphans parcere subiectis et debellare superbos. Cenobiorum consolator, pauperum pater, elemosinarum munificus largitor, omnium pius subventor, ut vere cum beato Iob gloriari posset in domino dicens: Oculus fui ceco et pes claudus.

VII. De doctrina et eloquentia imperiali.

Liberalium artium studiosissimus cultor earumque doctorum munificentissimus extitit venerator, quorum alios amplissimis opibus ditavit, alios summis dignitatibus dotavit, alios gloria et honore coronavit. Nec patrio tantum sermone contentus fuerat, sed Latina lingua, immo peregrinis et barbaris plurimum erat instructus. Noluit enim dispensatio divina verum patronum iusticie cuiusquam interpretis seduci fallacia, quatinus veritate litis et cause in omni genere sermonis utraque ex parte plene percepta et lance equitatis pensata iuste sententie dictarentur iudicia, que omni tempore innata sue bonitatis clementia, veluti pro tribunali sederet, expediebat, ne aut spes anxia diutius mentem extraheret dum lenta veniret, aut pessimus in dubiis augur timor suum possessorem lenta mora torqueret et utrumque gravis sarcina curie supra id, quod ferre posset, aggravaret. Lingua autem Latina ac patria e que utebatur. Erat vero eloquentia copiosus et exuberans, poteratque quicquid vellet apertissime exprimere et divine dono gratie quicquid menti occurrebat facile proferbat. Est enim eloquentia, ut quidam ait, maximum donum dei, cum quis quod commode sentit facile potest proferre. Adeo denique facundus fuerat, ut etiam didascalus appellaretur et esset. Quoad autem potuit et licuit, lectionibus intentus tabulas et codicillos tum ad scribendum tum ad legendum sub cervicalibus et pre manibus habere solitus erat. Inter cenandum quoque aut aliquod acroama aut lectorem audiebat. Legebantur vero ei hystorie et antiquorum regum gesta. Barbaras etiam et antiquissimas veterum bellorum hystorias novit et notas scripto eternavit memorieque mandavit. Libris autem sancti Augustini invigilavit precipue his, qui de civitate dei sunt preitulati. Inchoavit et grammaticam patrii sermonis. Mensibus etiam et ventis iuxta patriam linguam vocabula imposuit. Honestis enim studiis et exercitiis semper implicari voluit, ne ocio torpens vanis mundi illecebris operam daret. Hec igitur omnia divina assequutus gratia ad laudem et gloriam nominis dei, non ad fastum supercilii eis utebatur, superbos et rebelles de sede sue deponens potentie, subiectos et humiles digno exaltationis solio superextollens, secundum diffinitionem iusticie unicuique sua restituens. Decreta quoque sanctorum patrum et legum imperialium sanctiones per universos sui imperii terminos constanter servari precepit, mutanda mutavit, hiantia supplevit, superflua recidit, obscura ad lucem intelligentie reduxit, ambigue dicta sapienti consilio determinavit.

VIII. De cura ipsius in iure poli.

Generali namque apud Aquasgrani indicto concilio universalem synodum congregavit ibique canones sanctorum conciliorum et decreta pontificum ac sanctorum patrum coram episcopis et abbatibus, presbyteris quoque ac diaconibus et omni clero relegi precepit et plene ea observari instituit. Regulares quoque ac monachos secundum instituta et formam suarum regularum vivere decrevit. Quicquid vero in clero vel populo de culpis aut negligentis appareret, iuxta canonum auctoritatem a sanctis sanctarum ecclesiarum doctoribus et prelatibus fideliter emendari mandavit. Quicquid vero in monasteriis seu in monachis contra regulam a sanctis patribus iustitutam factum

fuisset, id ipsum suo regule rigore, paterna tamen dispensatione corrigi imperavit. Mandavit etiam, ut unusquisque episcopus in omnibus regni et imperii sui finibus cum suis presbyteris et diaconibus officium divinum, sicut sancta Romana psallit ecclesia, celebraret. Scolas etiam doctorum et cantorum per loca congrua institui precepit. Ea preter concilia quamplurima iussu eius super statu ecclesiarum corrigendo per totam Galliam ab episcopis celebrata sunt, quorum unum Magontiaci, alterum Remis, tertium Turonis, quartum Cabilonis, quintum Arelati congregatum est. Earum igitur constitutionum, que in singulis facte sunt collationes, qui scire desiderat, in supradictis quinque civitatibus invenire poterit.

IX. De vigilantia ipsius in iusticia fori.

Sollempniter vero sancta synodo prima, ut diximus, celebrata idem sanctissimus imperator, ne quid tante sue deesset providentie, reddere persone dum convenientia cuique gestit, marchiones, duces, comites et primates ceteros una cum legislatoribus et reliquo populo congregari et omnes leges tam imperatorum quam legisperitorum in medio proponi emendatasque et approbatas legi et promulgari instituit. Iudices vero secundum leges scriptas iudicare, munera nullatenus accipere sub certa condemnatione pene instituit; ut omnes homines in regno suo iusticiam, que cuique reddit quod suum est, haberent, generali edicto sancivit.

Vox exultationis.

O virum ineffabilem, o re vera deo amabilem, o in fines orbis terre merito predicabilem. Cum enim factum esset ei a deo nomen grande iuxta nomen magnorum, qui sunt in terra, ut videlicet primus et solus constitutus in caput gentium imperator vocaretur, non est in superbiam elatus, non est singularitate dominationis efferatus, sed eligens solide subsistere in se, ne inaniter raperetur super se, in oculis suis humiliatus, in oculis illius, qui humilia respicit in celo et in terra, est mirifice sublimatus. Dixerat enim in corde suo: Domine, non est exaltatum cor meum neque elati sunt oculi mei. Manifestis igitur indiciis divine gratia benignitatis ipsius aspirans potenter et clementer consiliis et actibus per totam vite illius seriem declaratur. Qui enim cor mundum in eo creaverat deus et spiritum rectum in visceribus eius innovaverat, sic utique superhabundanti fecunditate bonitatis sue tenuit manum dexteram eius et in voluntate sua deduxit eum, ut per exhibitionem presentium firmam illi redderet expectationem futurorum, ut cum gloria suscipi ab eo non dubitaretur postmodum in celis, qui cum ipso tam evidentibus auxiliis gradiebatur in terris. Quomodo enim vir iste quantumcunque bellicosus, quomodo inquam viribus esset auferens bella usque ad fines terre arcum conterens et confringens arma, nisi esset cum ipso docens manus eius ad prelium et digitos eius ad bellum, qui ait: sine me nichil potestis facere?

X. Qualiter filium suum Ludovicum heredem paterne sanctitatis et regni Aquisgrani instituerit.

Non solum vero divinis insudare mandatis et in lege dei die ac nocte meditari per se ipse glorificabatur, sed et suis per singulos dies de virtute in virtutem gradibus salutis [gradientibus] fontem sapientie et viam vite instillabat. Quis enim illam eius salutiferam ammonitionem cordis

armario non includat et oris tripudio non extollat, qua filium suum Ludovicum diademate regni Aquisgrani coronatum ad divinum timorem et ecclesiarum protectionem, ad gloriam bonorum et ad vindictam malorum ante faciem principum regni et populorum invitavit? In odorem igitur suavitatis orationis ipsius seriem placet retractare, que et ipsa testimonium perhibet sanctitatis et virtutis imperatorie. Diademato namque pio pii patris filio Ludovico Aquisgrani ad altare in eminentiori loco, postquam diu oraverunt una ipse et filius, pater locutus est ad filium coram omni multitudine pontificum et optimatum suorum ammonens eum in primis omnipotentem deum diligere ac timere, eius precepta servare in omnibus, ecclesias dei gubernare et defendere a pravis et importunis hominibus, sororibus suis et fratribus, qui erant natu iuniores, et nepotibus et omnibus propinquis suis indeficientem misericordiam semper ostendere precepit. Deinde sacerdotes honorare ut patres, populum diligere ut filios, superbos et pravos homines in viam salutis coactos dirigere. Cenobiorum consolator ut esset et pauperum pater, fideles ministros et deum timentes constitueret, qui munera iniusta odio haberent et super innocentes non acciperent, nullum ab honore suo sine causa discretionis eiecisset et semet omni tempore coram deo et omni populo irreprehensibilem demonstraret. Ante omnia vero et super omnia iterum atque iterum ad amorem et tuitionem sanctarum ecclesiarum ipsum constanter invitavit et suo exemplo iter virtutis preostendit. Que igitur Maronis vel Ciceronis facundia dignis attollat laudibus illum tam precordialem sponsi celestis amicum, qui ut sponsa illius, sancta scilicet ecclesia, diebus non solum suis, sed et suorum sederet in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiducie et in requie opulenta sponsi sui castis iocundata complexibus, surgens ex adverso et murum se toto vite sue tempore pro domo Israel opponens et simili galea virtutis et lorica fidei suos instituens sine iniquitate cucurrit et direxit?

XI. De condemnatione heresiarcharum Felicis et Elefanti.

Auctor vero pacis non solum extitit et eiusdem constantissimus conservator, ut sponsa in sponso, sancta videlicet ecclesia, exultaret in deo suo, verum etiam orthodoxe fidei verus cultor et assertor heresum pestilens contagium a terminis sue rei publice et ab unitate sancte dei exterminavit ecclesie. Orgellensis namque episcopus Felix nomine, sed infelix ipsa re, Hispanus natione, zizania fidei orthodoxe in agris ecclesie disseminaverat de Christi nativitate perperam sentiens et nimis pertinaciter erroris sui blasphemiam scripto eternare intendens. Consultus namque per litteras a quodam Toletano episcopo nomine Elephanto, quid de humanitate salvatoris dei et domini nostri Jesu Christi sentire deberet, utrum secundum id quod homo est proprius an adoptivus dei filius credendus esset ac dicendus, valde incaute atque inconsiderate et contra antiquam catholice ecclesie doctrinam adoptivum non solum pronuntiavit, sed etiam scriptis ad memoratum episcopum libris quanta potuit pertinacia pravitatem intentionis sue defendere curavit, eundemque sibi sue dementie socium de facili ut pote eadem fece iam prius sordidatum adiunxit. Quia vero auctoritas episcopali solum tanto errori accessit, late longeque contagio huius pestis proserpente perfidie sulcus ebullire cepit et non solum minus instructorum, sed et provectorum oculos dampnabili prestigio obtenebravit. Invalescente igitur ea sancte fidei procella epistola eiusdem erroris a prefatis heresiarchis conscripta orthodoxo Karolo in generali concilio sub multa episcoporum et doctorum clericorumque frequentia missa ab ipso Toletano antistite est presentata subtilique examinatione per aream utriusque legis ventilabro fidei eiusdem monitu imperatoris est tritura. Post multum igitur ac diutinum eius inquisitionis scrutinium novoque ac veteri testamento secundum scientiam et

fidem et girato et ventilato, orthodoxorum quoque patrum dogmate secundum discordantium canonum fidelem concordiam examinato totius sancte universitatis collegium et universalis illa synodus impiam heresim illam respuerunt et probabili necessariaque ratione unanimiter contradixerunt. Hancque heresim funditus a terminis sancte ecclesie sub anathemate eradicandam statuerunt.

Responsio.

Ad edificationem vero omnium per presentis scripti aream deambulantium sicut spinas et lolium ad fugam interseruimus - nemo enim potest vitare malum nisi cognitum - sic sancte fidei rosas et lilium, id est responsiones fidelium, ad imitabilem scientiam implantamus. Sancta namque synodus generali omnium assensu sic credendum statuit perversoque illorum dogmati sic contradixit: Dei filius hominis filius factus est. Natus est secundum veritatem nature ex homine hominis filius, ut veritas geniti non adoptione, non appellatione, sed in utraque nativitate filii nomen nascendo haberet et esset verus deus et verus homo, unus filius proprius ex utraque natura, non adoptivus. Quia impium et prophanum est deo patri eterno filium coeternum et proprium dici et adoptivum, sed verum et proprium, sicut supradictum est, ex utraque natura et credi et predicari debere.

XII. De auctoritate Romane sedis adhibita.

Affuerunt vero in eadem synodo legati sancte Romane ecclesie Theophilactus ac Stephanus episcopi vicem tenentes eius a quo missi sunt Adriani pape. In hoc igitur concilio et heresis memorata ut diximus condempnata est et liber responsionis contra eam communi episcoporum auctoritate compositus, in quo omnes propriis manibus subscripserunt, cuius erat continentia multorum sanctorum patrum preter prenotatam responsionem venerande auctoritatis ratio catholica.

XIII. De abdicatione septime synodi.

Synodus etiam, que ante paucos annos in Constantinopoli sub Helena et Constantino filio eius congregata et ab ipsis non solum septima, verum etiam universalis est appellata, ut nec septima nec universalis haberetur diceretur ve, quasi supervacua in totum ab omnibus est abdicata.

Vere decus et gloria mundi et inclitus ventilator utriusque gladii. Quam constanter enim spiritualis gladii officium lorica fidei armatus exegerit, quam strenue vero materialis gladii cingulo militie precinctus laboriosum onus sustinuerit, ex dictis datur cognoscere et ex dicendis plenius continget intendere. Vere duo gladii hic! Iste enim est qui in brachio extento et ore gladii insultantium arcus et sagittas, scutum quoque, gladium et bellum perdomuit; iste est qui tyrannicam immanitatem in manu potenti contrivit. Iste est qui summa prudentia et felicitate regnum Francorum, quod post patrem Pippinum magnum quidem et forte susceperat, ita notabiliter et magnifice ampliavit, ut pene duplum illi adiecerit, sicut plane ex historiali serie legentibus innotescit. Iste etiam est qui, licet hostibus esset terribilis, populo tamen suo mitissimus apparuit. Iste est qui pro totius mundi pace et salute et maxime pro sancte dei ecclesie stabili et firma unitate se omnibus periculis exposuit. Iste igitur est quem, etsi gladius persequentium non tetigit, cum vel ad propagandam christianitatem vel

ad defensandam ecclesiam multis se periculis obiecerit - hec enim duo precipue semper in mente habuit - dignitatem tamen martirii non amisit. Iste est quem vere urbis Romane patricium beati Stephani pape iniuriosa sensit expulsio, quem verum iusticie patronum contumax Adriani pape sibi invenit persecutio, quem iustum iudicem luctuosa sanctissimi Leonis pape experta est cecatio. Iste est quem vere murum pro domo domini sancte Iherusalem sibi persensit subversio. Iste est qui Haistolphum Longobardorum regem sancte Romane ecclesie oppressorem debellavit. Iste est qui Desiderium regem tyrannide sua fideles quosque persequentem perpetuo exilio deportavit, filium vero eius Adalgisum patrisantem Italia exire compulit. Iste est qui res a Longobardorum regibus ereptas Adriano sancte Romane ecclesie rectori restituit; iste est qui saxea Saxonum corda cultu ydolorum fedata tricesimo tercio demum anno una cum diversis aliis tribubus et populis orthodoxe fidei caractere insignivit; iste est cuius lumine salutari quasi sole quodam sponsa Christi, immo totus mundus divini gratia muneris resplenduit. Iste enim erat quem vere filium predestinationis, quem vere sibi vas electionis certissimis divina misericordia elegit indiciis, que cotidie suis miseretur et commodat. Qui enim lacrimas Petri clementie sue oculis respexit, gemitus et suspiria huius sui fidelis misericorditer exaudivit, ut vere in presentis vite curriculo ampla spes future revelationis claruerit. Notum namque christifidelibus esse non dubitamus, quam benigna, quam clementi consolatione idem beatissimus et a deo preelectus Karolus in spem eterne vite est animatus, cum beato Egidio divina celebrante mysteria inter ipsa misse sollempnia oblata fuerit cartula angelo deferente presentata, que et summam tacite continebat perpetrationis et veniam salutifere celitus indulte deferebat remissionis. Etsi autem hunc divine operationis eventum in serie miraculorum ratio perspexerit ordinandum, vigilantiam tamen consilio inter proemialia virtutum id ipsum adnumeravimus.

XIV. De pio affectu ipsius in ecclesiis edificandis.

Numerus vero sanctarum ecclesiarum suo prefati imperatoris labore et sumptu per diversa terrarum loca fundatarum ex serie et continentia triumphalis et christianissime ipsius hystorie sparsim innuitur et sitibundis mentibus sepius hinc haustus salutis propinatur. Apud Heresburch namque civitatem Saxonie, quam propter inhabitantium pertinacem perfidiam et indomabilem contumaciam deleverat, sed post casum tamen in maiori splendore zelo pietatis novo restruxerat, post eversionem ydoli, quod Irminsul ab incolis vocabatur, basilicam imperialis munificentie et celsitudinis construxit, ut, quem locum cultura demonum sordidaverat, christiane religionis veneratio emundaret. Anianensis quoque monasterii archisterium in splendore imperialis dignitatis verus vere cultor domus dei edificavit, ubi etiam abbatem Benedictum nomine constituit, qui trecentorum monachorum ibidem pater extitit. Eiusdem etiam piissimi imperatoris imperio et opera studiis et impensa per totam Gotiam innumera construuntur monasteria, que omnia et singula pro loci et temporis oportunitate imperiali ditantur et dotantur munificentia. Eo etiam tempore, quo omnes Saxones prius sepe numero fedifragi et rebelles, tandem vero sine spe recalcitrandi et pene usque ad interitum debellati victori Karolo magno se tradiderunt, divisit idem imperator ipsam terram inter episcopos et presbiteros et abbates, ut in ea predicarent et baptizarent et ecclesias ac monasteria edificarent, clericos et monachos ad psallendum deo ibidem ordinarent, que vero usibus eiusmodi necessaria essent, ab ipsa imperiali munificentia liberali largitate acciperent. Eo quoque tempore Wynidorum et Fresonum infinita multitudine sacri baptismatis lavachro innovata in terminis

ipsorum et viculis atque castellis innumerabiles fundate et dotate sunt augustali Providentia et impensa ecclesie.

XV. Nomina XXIII monasteriorum secundum ordinem litterarum distinctorum.

Placet vero quarundam ecclesiarum ab eodem Christi athleta fundatarum nomina distinguere, sicut in gestis ipsius apud Parisiacum pagum triumphamus nos legisse. Cum enim ut diximus eius devota munificentia multa sint reparata, immo a fundamentis edificata monasteria, hec sub certis titulis et numero legimus comprehensa. Monasterium sancti Philiberti. Monasterium sancti Florentii. Monasterium sancti salvatoris Karoffi. Monasterium Conchas. Monasterium sancti Maxentii. Monasterium Menate. Monasterium Magni loci. Monasterium Mussiacum. Monasterium sancti Savini. Monasterium Noviliacum. Monasterium sancti Theotfredi. Monasterium sancti Pascentii. Monasterium Dorosa. Monasterium Sollempniacum. Monasterium puellare sancte Marie. Monasterium puellare sancte Radegundis. Monasterium De vera. Monasterium De utera in pago Tolosano. Monasterium Valida in Septimania. Monasterium sancti Aniani. Monasterium Galune. Monasterium sancti Laurentii. Monasterium sancte Marie quod dicitur in Rubine. Monasterium Caunas et alia complura, quibus veluti quibusdam signis totum decoratur Aquitanie regnum. Que omnia et singula ipse piissimus imperator Karolus magnus auri et argenti ponderibus gemmarumque preciosarum exornavit muneribus, amplissimis etiam honoribus ditavit et insuper, quod est preciosius, reliquiarum sanctissimis patrociniis insignivit. Hec autem viginti tria monasteria secundum ordinem et numerum litterarum alphabeti notum est fuisse certo epigrammate figure in superliminari ecclesie insignite distincta et ideo sola certis numeris et nominibus sunt adnotata, cum longe plura superesse constet, quorum nullam in presenti serie mentionem diligens lector adinveniet. Quis enim dubitet, cum nec sancte Aquensis ecclesie, que sedes est unctionis regie, usquam occurset memoria? De huius igitur basilice structura et privilegio plurimum scribere reformidamus nec tamen possumus transire sub silentio.

XVI. De excellentia sancte Aquensis ecclesie.

Digne autem nec immerito inter hec et similia imperatorie sanctitatis opera connumerari emeruit et illa egregie pulchritudinis et ammirandi decoris basilica, que Aquisgrani sub titulo et honore beate dei genitricis semperque virginis Marie predicatur fundata. Cum enim religionem christianam, qua ab infantia fuerat imbutus, sanctissime et cum summa pietate coleret, miri decoris et forme ammirande perfectionis ecclesiam predictam in loco prefato extruxit, quam auro et argento luminaribusque et vario ornatu solidi eris, cancellis quoque et ianuis magnifice et mirifice adornavit. Cuius summam vigilantiam in eiusdem operis edificio quis non stupeat, cum illius basilice materiam et formam diligentius attendat et musivum opus oculis et animo advertat, que omnia, ut certissime credimus, divina sibi sunt ordinatione compacta et ad unguem consummata? Ad cuius etiam foundationis structuram cum columpnas et marmora aliunde habere non posset, Roma atque Ravenna devehenda curavit; ut enim dignam dignissime virgini fundaret ecclesiam, nullum laborem et sumptum recusavit. Ad laudem etiam beatissime virginis multis eandem basilicam animo inhianti decoravit ornamentis. Quorum turbam utputa infinitam pertranseutes unum de multis in publicum producere dignum duximus. Quodam namque tempore rex Persarum

prefato augusto cesari magnifica transmisit munera, papilionem scilicet et tentoria vario colore respersa mire magnitudinis et pulchritudinis. Erant autem omnia bissina tam tentoria quam funes eorum diversis tincta coloribus. Fuerunt autem pallia et munera prefati regis oloserica multa et valde preciosa et odoramenta et balsamum atque unguenta. Misit preterea horologium ex auricalco arte mechanica mirifice compositum, in quo duodecim horarum cursus ad clepsidram vertebantur cum totidem ereis pillulis, que ad completionem horarum decidebant et casu suo subiectum sibi cymbalum resonare faciebant, additis in eodem horologio eiusdem numeri equitibus, qui per duodecim fenestras completis horis exhibant et in cursu egressionis sue totidem fenestras que prius erant aperte claudebant. Insuper alia multa magnifice et laudabiliter disposita in eodem horologio fuisse memorantur. Fuerunt preterea inter predicta munera duo candelabra mire proceritatis et forme precellentis, que omnia prefatus christianissimus imperator in ipsa Aquensi basilica virgini virginum consecravit. Consecrationem vero eiusdem basilice quanta sollempnitate, quanta episcoporum et abbatum, quanta totius regni et imperii primatum et principum numerositate celebraverit, ascito etiam beatissimo Leone sancte Romane sedis presule, series gestorum principalium manifeste declarat. Eadem namque illius ecclesie celeberrima dedicatio sub presentia metropolitanorum et episcoporum numero trecentorum et sexaginta quinque excepta innumerabili infinitate ducum, marchionum et comitum et baronum gloriosissime est sollempnizata et sub honore beatissime virginis virginum choro angelorum applaudente et gloriam in excelsis deo concinente est titulata. Basilicam igitur eandem inclitus eius fundator mane et vespere, item nocturno et sacrificii tempore, quoad valetudo eum corporis et sarcina imperii permittebat, in spiritu dei et sacrificio cordis contriti et humiliati incessanter frequentabat. Quoad enim licuit et potuit, locum eundem et eius habitationem sibi specialiter elegerat. Cuius affectionem ad ipsam Aquensem ecclesiam ut plenius vestris auribus intimemus, paulo altius repetentes pragmatice sanctionis eius auctoritate conscripte quedam verba in medium proponamus. Generali namque principum totius imperii convocato concilio a piissimo et christianissimo Karolo inter cetera sue sanctionis elogia hec quoque disseruit.

Pragmatica sanctio.

Nostis, qualiter ad locum, qui Aquis ab aquarum calidarum adaptatione traxit vocabulum, solito more venandi causa egressus sed perplexione silvarum, errore quoque viarum a sociis sequestratus inveni termas calidorum fontium et palatia inibi repperi, que quondam Granus, unus de Romanis principibus, frater Neronis et Agrippe, a principio construxerat, que longa vestutate deserta ac demolita, fructibus quoque ac vepribus occupata nunc renovavi, pede equi nostri in quo sedi inter saltus rivis aquarum calidarum perceptis et repertis. Sed et ibidem monasterium sancte Marie matri domini nostri Ihesu Christi omni labore et sumptu quo potui edificavi, lapidibus ex marmore preciosis adornavi, quod deo adiuvante et cooperante sic formam suscepit, ut nullum sibi queat equiperari. Itaque tam egregio opere huius eximie basilice non solum pro voto et desiderio, meo, verum ex divina gratia ad unguem perfecto pignera apostolorum martirum confessorum virginum a diversis terris et regnis et precipue Grecorum collegi, que huic sancto intuli loco, ut eorum suffragiis regnum firmetur, peccatorum indulgentia condonetur. Preterea a domno Leone Romanorum pontifice huius templi consecrationem et dedicationem fieri impetravi pre nimia devotione, quam erga idem opus habui et sanctorum pignera, que inibi recondita meo studio et elaboratu habentur. Decebat enim, ut idem templum, quod cunctis monasticis edificiis in regno

nostro forma et structura preesse videtur, in honore sancte dei genitricis a nobis regali studio fundatum dignitate consecrationis precelleret, sicut ipsa virgo super omnes choros sanctorum precellens exaltata est, et ideo domnum apostolicum, qui omnes precellit ecclesiasticos gradus, ad consecrandum et dedicandum [idem templum] ex sola cordis mei consideratione elegi et accivi. Accivi etiam cum illo Romanos cardinales, episcopos quoque Italie quamplures et Gallie simulque abbates cuiusque ordinis, clerum etiam multum, qui huic sacre dedicationi interessent. Acciti sunt etiam multi Romani principes prefectura et qualicumque dignitate promoti ad id sollempne, duces marchiones comites principes regni nostri tam Italie quam Saxonie, tam Bavuarie quam Alemannie et utriusque Francie tam orientalis quam occidentalis, in omnibus voto et desiderio meo obsequentes. Illic igitur domno apostolico et omnibus predictis nobilibus et egregiis personis congregatis merui ab omnibus optinere pro nimia devotione, quam erga ipsum locum et matrem domini nostri Ihesu Christi habebam, ut in templo eodem regia sedes locaretur et locus regalis et caput Gallie trans Alpes haberetur ac in ipsa sede reges, successores et heredes regni iniciarentur et sic iniciati iure dehinc imperatoriam maiestatem Rome sine ulla interdictione planius assequerentur. Confirmatum et sancctum est hoc a domno apostolico Leone Romano pontifice et a me Karolo Romano[rum] imperatore semper augusto et primo auctore huius templi et loci, quatinus ratum et inconvulsum hoc statutum et decretum nostrum maneat et hic sedes regni trans Alpes habeatur sitque caput omnium civitatum et provinciarum Gallie. Decrevimus etiam ex assensu et benivolentia omnium principum regni, qui ad hoc festum dedicationis convenerant, ut locum et sedem regiam pro murali presidio contra omnes turbines episcopi duces marchiones comites omnes principes Gallie fideles regni tueantur, semper hunc locum venerantes et honorantes. Decrevimus etiam [ut], si qua iniuria aut versutia contra leges quas statuimus surrexerit, libero aut servo nocere temptaverit, Aquis ad hanc sedem regiam, quam fecimus caput Gallie, veniat. Veniant iudices et defensores loci et cum equitate legis cause discernantur, status legis resurgat, iniuria condempnetur, illic iusticia reformetur. Nunc ergo quia locum hunc maiestate regie sedis domni apostolici decreto et nostra imperiali potentia, vestro quoque assensu exaltavimus, honestate vero huius templi et plurimorum sanctorum veneratione magnificavimus, decet nec incongruum videtur, quin ad hoc nimium meus figitur animus, ut petitio mea, cuius vos non solum auditores sed [et] benivolos factores fieri exoravi, apud vos optineat, quatinus non solum clerici et laici loci huius indigene sed et omnes incole et advene hic inhabitare volentes, presentes et futuri, sub tuta et libera lege ab omni servili conditione vitam agant, ac omnes pariter ex avis et attavis ad hanc sedem pertinentes, licet alibi moram facientes, ab hac lege, quam dictavero in presentiarum, a nullo successore nostro vel ab aliquo machinatore legumque subversore infringantur, numquam de manu regis alicui persone nobili vel ignobili in beneficio tradantur. Adquieverunt universi domni et magni imperatoris Karoli petitioni et voluntati, qui ad hoc sollempne dedicationis ex diversis regnis confluerant, ac bonum et acceptum coram deo et hominibus domni apostolici et imperatoris decretum astruxerunt et omnium graduum episcoporum, abbatum quoque banno corroborari et confirmari hanc imperatoris petitionem universi magni et parvi acclamaverunt. Sed quia fraternitatem vestram, diutius prolixitate imperatorie orationis et pragmatice sanctionis iteratione detinere nequaquam presumimus, eis privilegiis, que preterea ecclesie Aquensi et civitati imperiali munificentia et precibus sunt collata, supersedentes presentis opusculi primam partem suo fine quantotius concludamus, primitias eius et terminum deo consecrantes. Quod si cuiusquam diligens inquisitio imperialem munificentiam in exstructis et recidivis ecclesiis locupletandisque impensam plenius

scire desiderat, historie ipsius aream latissime in splendore regii decoris diffusam fideli oculo perambulet, ubi ut dictum est copiosos mire sanctitatis fructus et favi distillantis calamum inveniet.

XVII. De virtute hospitalitatis imperatorie.

Illic namque inter hec et similia gloriose eius operationis odoramenta continget invenire, quanta veneratione, quam inenarrabili liberalitate - hilarem enim datorem deum noverat diligere - hospites et peregrinos collegerit, quod sue pietatis opus non solum palatio, verum etiam regno onerosum videbatur et importabile.

XVIII. De liberali munificentia elemosine imperialis.

Illic etiam quasi balsamum aromatizans gratuitam illam eius munificentiam repperiet, quam Greci elemosinam, nos miserationem vel misericordiam possumus nominare. Circa pauperes namque sustentandos et misericordie fovendos auxilio vere devotissimus, ut qui non in patria solum verum trans maria in Syriam et Egyptum atque Affricam Iherosolymis Alaxandrie atque Kartagini, ubi christianos in paupertate vivere compererat, penurie eorum compatiens pecuniam mittere solebat, catenatos in vinculis oppressos ergasteriis christifideles sua alimonia redimi mandabat, per omnia vocero dominicam vite eterne largitivam premerendo; ob hoc etiam maxime transmarinorum regum amicitias expetebat, ut christianis sub eorum dominatu degentibus refrigerium aliquod ac relevatio misericordie proveniret. Sed quia huius imperatorie benignitatis in testamentaria ipsius divina assignatione plenior dicendi locus occurret, procrastinata huius nostri laboris serie, suo fine et merita pii voti ianua ortum nostrum concludentes in tanta, cuius non est numerus, sui athlete salutari munificentia dei oris et cordis tripudio attollamus magnalia, cui honor laus et gloria per interminabilis vite seculorum secula. Amen.

Explicit liber primus. Incipit proemium libri secundii.

Quia brevi compendio aliquid de sanctitate morum fidelis dei athlete Karoli magni pro minima licet parte attigimus, degustatis quasi sanctitatis eius meritis secundario illam eius peregrinationis beatam et salutarem perfectionem exequi intendimus, in qua dei virtute et opera magna et multa claruerunt miracula. Quanta igitur pius imperator devotione, quanta eterne retributionis exspectatione nullum pro Christi nomine laborem subterfugerit, ex his patenter innuitur, quibus etiam venusta et frequenti serie eventuum exuberat divinitus ordo signorum. Primo igitur abinde dicendi sumamus exordium, quibus de causis et qua revelatione celitus oblata Iherusalem civitatem sanctam adierit, et quid in ipso expeditionis itu aut reditu gloriose et laudabiliter ipsi acciderit.

Explicit proemium. Incipit liber secundus.

De peregrinatione beati Karoli magni in laudem dei facta et qualiter a Constantinopoli apud Aquile Capellam clavum et coronam domini attulerit. Capitulum I.

Tempore, quo rex unaque imperator Karolus magnus Gallicum temonem regebat, multe et varie sancte dei ecclesie contrarietates inerant. Sed ipse vir illustris videlicet ingenii omnino ecclesiastice doctrine erat deditus, et ut rusticus in primis iuvenum multis verberibus affligendo, postea vero preacuta falce cornua succidendo et cervicem antea expertem iugi subnectit aratro, tum demum stimulis coercedo scindere terram edocet, sic sancte fidei catholice devotione refertus toto animi nisu totiusque corporis viribus illos quibus preerat firmam pacem erga catholicam ecclesiam tenere perdocuit.

Quas vero circumquaque gentes attingere prevaluit, aut eas debellando aut eas pacificando legibus dei et sancte ecclesie obnixè supposuit; quia nimirum dei gratia pietatis exagitatus stimulo et misericorditer domino cooperante, qui compeditos solvit, perfectissime caritatis vinculo subnexus sanctarumque omnium matris virtutum patientie lacte lactatus ac in cordis armariolo domini verbum, qui suis discipulis dicit pacem meam do vobis, et eam se preferente in cunctis gentibus ferri mandavit studio sancte religionis memoriter conservans fere per omnes circumadiacentes regiones longe lateque, sepius etiam in nequissimos paganos acriter bellum exagitando, sed semper deo opitulante victor existens ubique brevis articulo temporis res ecclesiasticas celebrabiles reddidit. Proinde postquam tanti tamque famosi viri per totum orbem terrarum fidei probitatis ve fama transvolavit, Romani magno terrore perterriti potentissimum Romanum imperium immo et pape electionem ipsi prescripserunt. Ita dei providentia precurrente Romanus imperator effectus est.

II. De expulsione Iherosolimitani patriarche.

Interea forte apud Iherusalem inter christicolos et nequissimos paganos ex solito discordia exorta est adeo magna, ut patriarcha vir perfectissime religionis de civitate vi expulsus ad imperatorem Constantinum et filium eius Leonem, qui tunc temporis illis partibus imperitabant, Constantinopolim fugiendo cum aliis christianis [pervenerit], et ei lacrimabiliter, que et quanta turpia sibi sint illata, et qualiter prenotati pessimi ipsum sepulchrum, quo secundum carnem nostram triduo redemptor iacuit atque inde ipsam eandemque carnem, quam de beatissima matre semperque virgine Maria assumpsit, in celi arce ut deus nichil corruptionis perpessus relevans collocavit, (et quod) inordinate tractent, quod universis christicolis deberet esse dolendum, enarravit. Tandem vero cis Iherusalem campis urbibusque ac castris quampluribus depopulatis et huius fidei confessoribus multis interfectis, quibusdam quoque carcereis vinculis mancipatis, ad nostratrem imperatorem in initio narrationis prenominatum, cuius fidei ac simplicitatis bonitatis ve fama orientalium aures iam dudum diverberaverat, ut recta serie verborum superius enucleavimus, legati cum litteris missi sunt, qui ipsum, que in Iherosolimitanis partibus ipsaque in civitate facta sunt, in dominum edoceant.

III. De legatione ad imperatorem directa.

Hac igitur in legatione quatuor dinoscuntur fuisse, duo christiani, duo vero hebrei, qui utrique in sua lingua attulerunt sacras epistolas, scilicet Iohannes Neapolis sacerdos et David Iherosolimitane ecclesie archipresbiter, homo quidem iustus et timoratus ac deum timens in omnibus. Epistolam ergo manu patriarche Iohannis videlicet hominis dei perscriptam simulque imperatoris Constantini voluntate assignatam cum aliquantis muneribus idem pertulerunt ad regem.

IV. Exemplar epistole Iohannis patriarche.

Servus servorum dei Iohannes, urbis Iherusalem domini misericordia episcopus, unaque orientalium imperator Constantinus et filius eius Leo Constantinopolis regi inclito occidentalium triumphatorique semper augusto Karolo magno regnum et imperium feliciter in domino. Favoralis apostolice doctrine gratia magno rutilamine pacis splendens [ad nos] usque pervenit et splendoris ac leticie fidelibus tantum infulsit, ut gaudentes deo uberrimas persolvere gratias debeant, nosque uberiores semper fatemur debere. Multomagis vero a deo iocundati sumus, quod perspicue omnibus tue inquisitis fraternitatis actuum lateribus ita proculdubio perfectum pietate ac patientia te esse tantum cognovimus, ut in omnibus dominum laudemus. Sed ipsum successum ideo tuis laboribus prosperum videmus evenisse, quia tota animi virtute pacis amator existens eam repetitam inveneris et repertam summa caritate servaveris. Multa ergo in Iherosolimitanis partibus sancte ecclesie catholice turpia et numquam ab aliquo fideli diu sufferenda et nobis karissime paganos cognoscas intulisse. Namque egomet de sede, quam prior sanctus Iacobus iubente domino possedit intrepidus, eiectus sum plerisque christicolis captivatis et quibusdam interfectis et, quod maius est, captivato domini sepulchro nimisque dedecorato. His itaque talibus commoti et quampluribus constricti a te omnium invictissime Karole magne auguste suffragium suspirantes maxime ex necessitate scriptitamus. Hec enim amminiculante deo possunt a te resecari facillime. Proinde nos, ne quid meritis benivolentie tue videremur derogare, ad te maxime potentissimum regem scripta direximus, que in omnium fratrum principum coepiscoporum nostrorum noticiam ire facias, non solummodo eorum, qui in tua sunt provintia, sed etiam qui tue dilectionis vicinis adiunguntur provintiis. Sciat quoque hoc, quisquis auxiliari nobis apostolica doctrina de pace catholice ecclesie postposita neglexerit, a deo se esse vindicandum districtius. Minime vero dubitet sibi ullam sui loci rationem constare, si ipsum domini sepulchrum, quo pro nobis humanatus triduo iacuit ac resurrexit, a pravis hominibus inhoneste tractari patiat, necnon hoc putet post auxilium prohibitum a domino impune non omitti. Etenim contumelie superbieque fit studio, si quicquid ecclesie dei est contrarium maneat a christianis intactum. Quid plura? Multa vero huiusmodi et plura potuissemus scribere. Sed quia dolore et lacrimis impediti sumus et simul fideli satis est dictum, et quod quisque conquerens sua dicta putat omnibus esse cognita, omittamus cetera pie Karole magne sub lacrima. Vive capax vite memorareque dicta benigne. Mente cave pecces et corpore corde rebelles. Ut vis et volumus valeas sine fine beatus. Duo quoque hebrei sacram epistolam Constantini imperatoris manu scriptam ad prefatum imperatorem cum precipuis donis apportaverunt. Nomina autem eorum hec sunt: Ysaac et Samuel; Ysaac vero homo magne prudentie et simplicitatis in sua lege fuisse assertus est. Samuel etenim secundum ipsorum legem pontifex erat in eis, homo religiosus et in utraque lingua eruditus. Hii duo presertim imperialibus edictis ad legationem electi sunt. Sed sacre Constantini imperatoris et epistole patriarche una et eadem est prope sententia.

V. Exemplar epistole Constantinopolitani imperatoris.

Aias auna bonac saacalabri milac pholi ausilau bemuni segen lamithel bercelni fade abraxion faavotium. Hoc est: Constantinus imperator et Leo filius eius eque imperator et rex orientalium omnium minimus et vix imperator dici dignus Karolo magno regi occidentalium famosissimo fidelium regnum et dominium et coronam utriusque vite feliciter. *Iephet alas calabri caa milas*

pholi anna bonac bercheloeni aucilau docathael lamieth ioehet favothium faode baruch catha maroth adonay heloy heloeth helau abraxion atheday baruch israhel aithamuns thramiloizima mucheta david dabiach geman theruel bemunicegen iesu athexion iochaith romathedal ruboiel helka zadol olabibael davifae vidahiac dimamuch saac milac berseioth moysima laumathal auchimarath kalabrifovath thiumaubaruth adonay. Cum has litteras bene perlegeris, o amicissime Karole magne, cognoscas me non animi penuria vel hominum ad te hanc legationem causa petendi auxilium direxisse, cum antea multociens in paganos paucioribus militibus adeptus sim victoriam. Namque ab Iherusalem bis et ter quam ceperant expuli eos fortior multis captis et occisis et in campis sexies amminiculante deo victor fugavi. Quid plus? Opere precium ergo est, quatinus me nequaquam meo sed tuo merito divinitus monitum esse, ut ad tantum negocium te invitarem, confidenter credas.

VI. Visio Constantini imperatoris.

Quadam quippe nocte de invasione paganorum meditans quid agerem et a deo succursum firmo corde postulans et quasi in exstasi effectus vidi ante lectum meum quendam iuvenem stantem, qui me blanda voce vocans nomine meo pauxillum tetigit et ait: Constantine rogasti dominum auxilium et consilium huiusce rei; ecce accipe adiutorem Karolum magnum regem Gallie in domino ac pacis ecclesie propugnatorem. Et ostendit michi quendam militem ocreatum et loricatum, scutum rubeum habentem, ense precinctum, cuius manubrium erat purpureum, hasta albissima, cuius cuspis sepe flammam emittebat, ac in manu cassidem tenebat auream et ipse senex prolixae barbe vultu decorus et statura procerus erat, cuiusque oculi fulgebant tanquam sidera; caput vero eius canis albescebat. Unde minime dubitandum est, quin haec dei voluntate facta sint. Nunc exhilarati sumus in domino, quod omnibus perspicaciter tuae fraternitatis lateribus inquisitis ita sine dubio te magnifice factum humilitate simplicitateque tantum esse cognovimus, ut in omnia dominum laudaremus. Verum enimvero ipsum eventum idcirco tuis laboribus cognosco accidisse secundum, quia toto cordis desiderio pacis propagator factus eam quesitam inveneris ac summa dilectione inventam propagaveris. Magna ergo in Iherusalem catholice ecclesie turpia et a nemine fidei patientia paganos karissime iniecissem cognoscas. Sed haec quidem deo cooperatore possunt resecurari a te levissime. Hanc enim tuis meritis gloriam divinam certissime comperi reservare gratiam. Nequid itaque nos tuae caritatis meritis videremur subtrahere, ad te regem a deo preelectum scripsimus magnopere. Quid ultra? Habes enim valentes causas, quibus favere debes ocissime. Quis etenim quem deus hortatur potest dehortari? Age iam, rex auguste, quae a deo mandata sunt quantocius impleas, ne amplius percunctando gravem culpam incurras. Qui enim dei iussionibus refugit obedire, minime poterit culpam evadere. Emmanuel geman Ihesu, hoc est: In domino gaude, memor eius fungere laude. Iusticie zona lumbos, caput atque corona perpetue succingat te Christus honoreque stringat. Nil opus est ficto domini quo iussio dicto. Ergo tene fundum domini precepta secundum.

VII. Qualiter legati ad imperatorem Parisius pervenerunt.

Legati igitur longi gravisque onere itineris fatigati tendentes Parisius ad regem, quoniam ibi eis in itinere ferebatur agere, appulsi sunt Remis. Ibi quoque primum ipsum deducere in Arverniam exercitum acceperunt; idcirco ibi biduo remorati sunt. Namque predictus Neapolitanus parumper

caput dolebat et pectus. Postea vero quam illa evanuit passio, iter ceperunt cum gaudio sicque ad sancti Dyonisii Ariopagite castrum pervenerunt. Nunc quoque hic nunciatum est eis imperatorem quodam castro capto redire de expeditione et ad presens esse Parisius. Illi itaque triduo recreati regi Parisius ingredienti sese obviam dederunt. Cui ut decuit salutato signatas epistolas tradiderunt. His vero ipse receptis et cum taciturnitate bene perscrutatis intelligens iam se a deo ad hoc negotium preelectum esse et iam usque ad orientales famam sue probitatis pervolasse, hinc gaudio gavisus est valde, sed opido, quod dominicum sepulchrum a paganis esset obsessum, condolens lacrimari cepit. Aliis vero inter se sciscitantibus quid carte canerent, quoniam tantam tristitiam regi incuterent, ipse Tulpinum Remensem archiepiscopum accersiri iubet. Cui mox astanti unius atque alterius scripta sacre epistole palam omnibus materna lingua exponere precepit. Una etenim earum fere ut dixi atque eadem erat sententia. Quibus bene et honeste enucleatis assensu suorum placidissime et potenter excitato et obfirmato ilico benignissimus dux unaque rex ac imperator per totam Francorum regionem edici citissime imperat, quo omnes, quicumque ad sese defendendum arma possent deferre, pariter tam senes quam iuvenes secum pugnaturi in paganos versus orientales plagas inevitabiliter ire satagant; alioquin quicumque huius edicti mandata non peregerit, ipse in vita sua et filii eius similiter ex regis decreto de capite quatuor nummos quasi servi solvant. Quid plura? Catervatim undique populis circumfluentibus maiorem exercitum quam antea habuisset et fortiorem brevi spacio congregavit.

VIII. De oraculo alitis voce quasi humana Francorum regem vocantis et iter premonstrantis.

Ut autem plura omittam, quiddam ammiratione dignum quod nostratibus in itinere evenisse refertur dicam. Nam cis Iherusalem in via quidam lucus est, qui vix a peregrinis duorum dierum spacio valet transiri, in quo sunt etiam griphones et ursi leones lince tigris et multe alie fere bestie, que sanguinis hominum effusione victitant ex more. Quem Karolus magnus putans uno die posse se transire cum exercitu ingressus est summo mane; sed inclinata iam die et advesperascente, qui etiam sole lucente densitate arborum fit obscurus, ingruente noctis obscuritate effectus est obscurior. Preterea deviato iam exercitu et passim in arduis erranti, ymbre desuper inundante virisque ac iumentis [lassatis] ingruente nocte subobscura ipsemet castrametari precepit. Transacto vero noctis silentio rex in pulvillo suo accubitus psalmos cantare inchoavit. Sciebat enim litteras. Ast ubi hoc propheticum: deduc me in semita mandatorum tuorum, quia ipsam volui, et: inclina cor meum in testimonia tua et non in avariciam et reliqua psalmi cepit psallere, ex inproviso ad aures eius evidentius vox cuiusdam alitis prope lectum clamantis ita incussit, quo ipsi qui aderant ammiratione magna quidam expergefatti a somno stuperent dicentes hoc future rei esse prodigium, quoniam ales uti humana voce videbatur eis. Sed imperator noster, ut paulo superius dictum est, orationem continuans hoc adiecit: Educ de carcere animam meam domine, ut confiteatur nomini tuo. Verum et ad hoc ales intelligibilius clamare sic cepit: France quid dicis? Quid facis? Quod accole ipsius patrie numquam antea quampiam volucrum tam intelligibili ratione cantare se testificati sunt audisse. Greci enim quasdam volucres sua tamen lingua regum salutationibus posse fungi asserunt ita: *Anichos basiley chere*. Quod sic latine exponitur: Invictissime cesar ave. Inde quia modo aperta latinitate usus convenienter regis orationi respondit, dubitandum non est, quin hic a deo missus esset nuncius prosperitatis future, qui ipsum suumque exercitum ad meliora revocaret. Quem prosecutus parvula semita est, donec recognito calle, quem die preterito amiserant, vocem uti antea minime

audierunt. Peregrini tamen qui illa via Iherusalem gradiuntur dicunt se alites usos huiusmodi voce audisse atque agricolas eiusdem patrie ab illo die, quo Karolus magnus a recto deviavit itinere, semper huiusmodi audire cantum ab his avibus illatum referunt solito sibi enarrasse. Tandem ipse cum exercitu suo Constantinopolim longo itinere fatigatus pervenit.

IX. De restitutione sedis Iherosolimitane.

Postea vero fuis fugatisque paganis ad celsam urbem, que vexilla vivifice crucis Christique passionis mortis ac resurrectionis retinet monimenta, letus et supplex adventans patriarche totique christicole plebi cuncta prospera deo opitulante solidavit. His itaque digestis imperatorem ipsius regionis licentiam repatriandi pie Karolus magnus subrogavit. Ast ipse dux bene providus, ut quemque fidelem decet in talibus, saltem usque in crastinum pietatis gratia, qua venerat illuc, eum deprecatus est immorari. Ille autem velut agnus mitis mitibus placide ac benignissime iocundo ac hilari corde quicquid velit sese facturum respondens adhuc etiam triduo et, si ei placeat, ultra moraturum edixit. Existimabat enim eum cum aliquibus guerram habere, pro qua iuberet adhuc se paululum ibi manere; sed aliud versabatur in pectore. Mansit tamen ex voluntate. Quo facto illius noctis transactis vigiliis et iam prosequentiis rutilante aurora diei iussit suos cum benedictione dei rursus preparare viam repatriandi. Itemque ab episcopis et ab imperatore simulque a ducibus immo et ab omnibus amabiliter repetitam abunde licentiam gaudens optinuit.

X. De munificentissima liberalitate Constantini.

Imperator vero Constantinus utpote callide ac honeste sibi esse consultum existimans pre porta civitatis foris in aperto campo inque oculorum regis redeuntis intuitu animalia multi generis tam volucrum quam bestiarum cariora variique coloris pallia et meliora gemmarum (que) et preciosissimorum lapidum queque insignia eaque quasi tanti laboris periculive et longi itineris esse mercedem computans preparari fecit. Sed ne ab exordio videar exulare et quia parum confido mee rationi, quamvis ex his apparatis multa bonorum morum possent extrahi instrumenta, multo melius tamen me tacere quam pauca et quasi per speculum dicere decrevi.

XI. De discretissima deliberatione consilii beati Karoli magni.

Preterea vero ut huiusce rei rumor diverberavit aures imperatoris Gallie, ilico suos nobiliores natu et utiliores in consultu habuit in cetum, minime tamen inconsultus in tali re quid ageret, ibique eos consulens, utrum capiat, que a Constantinopolitano rege ad accipiendum sibi sunt apposita, asseruit se nequaquam decere de tanto suo suorumque labore premium affectare, cum se suosque ad locum, quo dominice crucis vexilla refulgent, causa pietatis adduxerit, quo sepulchrum dominicum sua expugnatione inique paganorum potentie subtractum fidei devotioni christianorum deo miserante pateret debitum, ac ne qui antea bene predicabatur per populos tunc male divulgaretur. Et merito. Porro non omnes eum dicerent desiderio iusticie accensum, sed penitus avaricie aut male ambitionis studio agitatum et ita hec et his similia causa adiungendi suo regno aliud invasisse seu aurum et argentum vel alias quamplures congregandi divitias agitare, quod absit. Itaque cesar augustus, vir scilicet bene providentis ingenii, postquam quod iam in sincero corde diu involverat, palam

declaravit, iterum exercitui clam iter repatriandi festinare atque unicuique phalangi ex sua lingua precepit edicere, ne quispiam eorum tantarum rerum cupiditate ignitus audeat quicquam illorum quecumque sint tangere, immo etiam illuc veluti ea desiderans respicere. Tandem ipsi exeuntes ab urbe, prius tamen a rege bene edocti omnia floccipendere, sicuti ipse eos ante docuerat, sub plurima Grecorum ammiratione visi sunt.

XII. Amicabilis altercatio duorum imperatorum.

Ut autem pervenere ad id loci, unde planius omnia possent aspici, rex orientalis iam prenominatus sic imperatorem Gallie affatus ait: Domine et amande rex cesar auguste, supplico, ut tue pietatis sinceritas nunc in omnia fiat michi secunda, quoniamquidem hec omnia tue dignitati sunt apposita, quo ex his, quecumque tibi placuerint, eligas, tota etiam si velis portare ac ducere tecum facias concedo. Ille quidem renuens hoc facere se pro dei misericordia et pietate consequenda, quin insuper pro celestibus et non pro terrenis divitiis lucrandis dixit tam gravia hilari animo sustulisse pericula. Proinde inter duos imperatores altercatio benignitatis aliquantisper mansit. Is etenim suam denegationem infractam esse confirmat, ille quoque per dei caritatem contestans quo capiat perseverat. Alioquin dicit iterum perdere se atque suos, quin immo non, sapienter agere illum, si absque quolibet munere ad sue partes regionis regredi festinet. Presertim asserit eum oportere quodvis munus deferre, non quasi mercedem aut premium laboris, sed ut huiusce rei testimonium et quasi misericordie dei pignus ferens suis compatriotis ostendat. Ad hec noster imperator, utpote qui nocte pervigili mente esse optimum factu cogitaverat – nam postea suis ipse enucleavit aliquid se portare debere, quod occidentalibus pignus gratie dei inesse videretur – respondit dicens: In hoc vero te sancti spiritus ammonitione comperio esse monitum; hoc quippe, quod nocte preterita quemadmodum me deceret facere toto animi affectu cogitaveram, ita te modo percepi dicentem. Sed ex istis prepositis nullum mecum portare decrevi, ne magis avaritie suspitio quam caritatis pietatisve dei commemoratio videatur oriri. Quapropter video, quia tale quid deferre me condecet, quod occiduali genti fiat exemplar pietatis; propterea ego tue petitioni assensum tribuam. Si autem tu optationi nostre humillimeque rogationi tui cordis patulas aures [ad id], quod flagitamus intente inclines; eligam quod, ut dictum est, queamus dignanter portare. Ille equidem concordi animo hoc desiderans audire, quicquid ei placeat, benigne concessit postulare.

XIII. Devota petitio penarum Christi.

Ad hec mox Karolus magnus enucleavit, quod habebat in pectore sub puritatis et fidei sincera devotione. Ergo de domini nostri Ihesu Christi penis, quas pro nobis peccatoribus obediens patri usque ad mortem dignatus est pati, misericordissime tribuas gestimus, quatinus nostrates, qui ad urbem, que semper memoriam nostre redemptionis feliciter retinet, causa abolendi sua peccamina venire nequeunt, quiddam nostris in partibus visibile habeant, quod ad passionis dominice mentionem facte Iherusalem, que visio pacis dicitur, corda eorum molliat et ad fructum digne penitentiae revocet pietate. Qua re audita et concessa uterque imperator discessit, hic ad suos archiepiscopos et episcopos abbates monachos et alios quamplures principes in consilio prudentes consulendum, quomodo tam sancta deberet tractare, alter quoque ratione sciscitandi suum clerum suosque optimates, quo in loco absque fallacia sanctuaria iam prelibata iaceant abscondita.

Nesciebat enim, ubi Helena inventum thesaurum sanctum deposuerat. Huic autem probabili ratione sic a suis respondetur: Quoniamquidem partem de nostri redemptoris penis vis accipere, in primis dignissimum ac iustissimum vere est, habitaculum vere fidei scopare scopis vere confessionis et triduanum ieiunii sarculo spineta corporis eradicare digneque penitentie fructificatione cordis horreum adimplere et tandem suppliciter ad sancta accedere. Quorum consilium cesar augustus approbans ita, uti consuluerunt, indixit eis facere. Alteri vero clerus eque et sui optimates loca quesita, in quibus iacerent recondita, indicantes itidem, quod supradictum est, simili quoque devotione facere predixerunt. Quo audito gavisus est valde. Viris itaque duodecim electis, qui ad hec tam sancta digni viderentur tractare, triduanum ieiunium precepit peragere, et isti digni ad loca thesauri aperienda prescripti sunt. Demum his ita peractis ambo imperatores illuc supplici corde cum suis hominibus pervenerunt. Cum autem ad locum confessionis Romanus imperator pervenisset, prostratus statim in pavimento cuidam sancto archiepiscopo nomine Ebroino sua peccata confessus est puro corde, etsi in primo die triduanæ penitentie confessus fuerat humillime, itidemque suos iussit facere. Quod et factum est. Denique utrimque clerus psalmos cum letania incepit psallere. Divinis [itaque] aliis laudibus immorantibus nostre beatam redemptionis memoriam preelecti satagunt suppliciter revelare. At priusquam tanta tamque celeberrima totoque orbe terrarum nonnumquam veneranda tangerent, sciscitabantur in ter se, quid eorum primum peterent. Tum omnes una voce proclamantes quasi celitus inspirati dixerunt: Quoniamquidem nostre libertatis causam habere volumus, nunc ad capitalia capere prius properemus, cum Christum, qui liberavit nostrum caput, omnium caput esse credamus.

XIV. De theca spinee corone reserata.

Preterea vero, ubi quidam Grecus Neapolis antistes nomine Daniel fonte lacrimarum cordis aperto, vir videlicet vita et moribus laudabilis, thecam, in qua spinea corona erat, accipiens reseravit, tantus tamque mirificus inde exiens odor se infudit naribus circumstantium, ut in paradisi semper florigerum virgultum se estimarent esse translatos. Ad hec autem beatus Karolus magnus flexis in humum genibus huiusmodi fudit orationem ad dominum: Domine deus omnipotens, qui fabrice mundi fabricator semper es splendens celumque et terram et que in eis sunt gubernas, summe prudens, qui sedes super Cherubin, dignare famuli tui orationem suscipere. Oro te domine ante tuam maiestatem humiliter prostratus et supplico tueque largam misericordie munificentiam supplex flagito, ut mee parvitati de tuis penis sanctis deferre partem concedas. Et nunc domine Ihesu Christe revocando miracula tue passionis resurrectionisve dignanter visibiliterque huic populo quiddam ostendas, quod occidua genti hec de tuis penis esse veraciter et sine ulla dubitatione fideliter possim demonstrare; ita domine, ne quis infidelis audeat amplius dubitare, quin hec corporaliter pro nobis humanatus passus sis in cruce. Tu autem dominus es omnium domine Ihesu Christe, qui formasti omnia quando non erant, cui Cherubin et Seraphin omnesque celestes virtutes serviunt ac incessabili voce te laudant in excelsis dicentes: sanctus sanctus sanctus dominus deus exercituum. Tu etiam domine incredibiles angelos profundo lacui tradidisti cruciandos precepto tuo semper contrarios. Et nunc domine aures tue dignissime pietatis inclina michi ac deprecationem, quam ego peccator et indignus coram maiestate divinitatis tue prostratus effundo, digneris exaudire.

XV. Qualiter corona floruerit in odore suavitatis et splendore lucis inestimabilis.

Hec igitur cum beatus Karolus magnus perorasset, res digna relatu accidit. Nam ros statim veniens celitus lignum inebriavit et spinas ipsi insertas flores emittere fecit, ac inde suavitatis exivit odor adeo magnus, ut hi qui aderant in templo precarentur dominum nec se mutare nec tam suavem odorem eis amplius deficere. Nam in hoc seculo minime putabant corpore degere se. Tanta namque inerat lux, quod etiam sua quisque indumenta celestia esse putabat. Egri vero ut antea dolorem numquam patiebantur, sed in paradiso saluti se esse redditos credebant. Interea rex iam pretaxatus tanti miraculi gratia illustratus in celum erectis luminibus dicere cepit cum psalmista huiusmodi visione exhilaratus: Exaudisti domine vocem meam, qua clamavi ad te, miserere mei et exaudi me. Tibi dixit cor meum, quesivi vultum tuum, vultum tuum domine requiram, ne avertas faciem tuam a me, ne declines in ira a servo tuo. Adiutor meus esto, ne derelinquas me neque despicias me deus salutaris meus. Et illud: Exaudi domine iusticiam meam, intende deprecationem meam et cetera psalmi usque ego clamavi. Sed dum quoniam exaudisti me deus diceret, totus clerus te deum laudamus intonuit clara voce. Finitis itaque huius miraculi laudibus rex orationem finiens dixit: Inclina aurem tuam michi domine et exaudi verba mea et reliqua psalmi. Magna gratia! Quippe ipse, qui pro nobis humanatus et easdem penas pati dignatus est, hec et alia multa fideliter sibi supplicantibus probabiliter voluit ostendere, et ne de hoc quidem ulla dubitatio ultra aut quis error pullularet in orbe, quin id lignum iam diu siccum et absque ullo terreno humore factum modo celitus rore emisso ita viride apparuit, sicut die illa de terra eradicatum esset. Cum predictus pontifex adunca forcipe robur ipsius ligni secare inciperet, et quasi transplantatum super aquas deditis humori radicibus estus fervorem minime timens deus virere [illud] florereque fecit, sicut de virga Aaron legitur fecisse, qui de beatissima semperque virgine Maria sine virili commixtione natus est deus et homo una persona. Et quis tam demens et tam infidelis, qui audeat dubitare hoc esse de ligno, quod, ut dictum est, supra caput suum pro nobis in passione dignanter [dominus] sustinuit, et regis orationem ostendens a se esse auditam flores fecit emittere? His talibus et tam pia ammiratione dignis supplicisque sui precibus perfectis et auditis

XVI. De susceptione florum in quanto imperiali.

Deinde imperator Gallicus, utpote qui sapiens nudis cubitis et genibus laniatis assiduo tractu pavimenti triduanoque ieiunio abstracto corpore anxius erat, aliis de tam ammirabili ostensione stupefactis non inprovidus timuit fore indignum, si hii flores ad terram caderent et adventantium incursione conculcarentur, quos divine exhibitione misericordie elatos esse non dubitabat, de arboreo [ergo] pallio, quod ad tam digna recipienda preparaverat, partem incidi precepit ibique sanctarum suscipiens emissiones spinarum in chirotecam suam dexteram, que vulgari sermone dicitur quantus, inclusit. Dehinc alium apparat ad spinas Christi cervice sacratas.

XVII. De quanto imperiali in aere mirabiliter suspenso.

Quantum vero cum floribus cuidam viro archiepiscopo Ebroino fideliter ad servandum tetendit, sed nescio, uter eorum magis haberet largo flumine lacrimarum acies oculorum impeditas. Hic namque ab illo putans receptum esse dereliquit. Alter quoque primum tanto spectaculo intentus paululum intermissa oratione postea ad eam reversus ac idcirco desiderabilius inherens nec ad imperatorem respexit nec quantum tetigit. Mira res! Porro larga misericordia dei et pietate, qua sponte ipsas

penas pati et quamplurima pro nobis dignatus est facere, per spacium fere unius hore stetit quantus in aere. Ut autem a prefato imperatore sancte spine sunt recepte suppliciter et recondite honorabiliter, quantum, quem viro paulo superius nominato voluit commendare, siccatis lacrimis et oculorum acie paulisper clarificata stare vidit in aere et cui se commendasse estimabat, quid hoc miri esset, gestiebat eum interrogare. Verum enimvero ipse tantorum ammiratione signorum tantoque gaudio exhilaratus cordisque gurgite inundante vix interrogationem quam inchoaverat finire et responsionem interrogati valuit audire. Ipse etenim timens deum piguisse, quia hec in chirotecam deposuerat, benigne inquirere satagebat, quid ille de sibi commissio fecerat et quomodo qualiterque quod videbat evenerat. Ceterum is minime se dum taxat non accepisse, sed nec antea etiam vidisse veraciter affirmat. Demum idem imperator quantum capiens frustum pallii, quod involverat intro, cum reliquiis retraxit et quos prius flores deposuerat, videre cupiebat; sed dei amminiculante virtute conversi sunt in manna mirabile. Quo viso gaudens cepit dicere illud psalmiste: Saturati sunt filii tui domine et cetera. Et de integro involvit in pallio. Et hoc tamen manna est in Gallia in ecclesia terbeatissimi martiris Dyonisii Ariopagite, licet et de illo manna, quod in deserto filiis Israel dominus pluerat, usque hodie esse referatur.

XVIII. Vox in laudem dei psallentium.

His ita gestis ecce foris adventantium valvasque basilice maximo impetu pulsantium clamor aures intus exultantium fortiter penetravit. Tandem partim reseratis portis partim fractis irruerunt clamantes: Vere hodie est resurrectionis dies, et hoc cum psalmista concinunt: Hec est dies quam fecit dominus, exultemus et letemur in ea, et que usque ad finem sequuntur. Ad hec beatus Karolus magnus reddere gratias deo omnes hortatur ita dicens: Cantate domino canticum novum, quia mirabilia fecit nobis hodie. Letatus sum vero in his, que dicta sunt michi advenientibus in domum domini. Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Iherusalem. Iherusalem, que edificatur ut civitas, cuius participatio eius in id ipsum. Illuc enim ascenderunt tribus, tribus domini ad confitendum nomini domini Israel testimonium et reliqua. Unde, fratres karissimi, unanimes deo omnipotenti, qui omnes salvos fieri et ad agnitionem vere fidei venire vult, ab imo cordis et sincera mentis intentione promamus et cum vociferata odarum prolatione gratias agamus obnixae semperque laudantes deum patrem omnipotentem, unum in trinitate et trinum in unitate confiteamur, quoniam hodie suum populum dignatus est visitare. Idcirco iubilate deo omnis terra, psalmum dicite nomini ejus, date gloriam laudi eius et dicite: quam terribilia sunt opera tua domine, nimis profunde facte sunt cogitationes tue. Vir insipiens non cognoscet et stultus non intelliget hec et cetera usque ad finem psalmi. Et laudate dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi. Et laudate dominum, quoniam bonus est psalmus; deo nostro sit iocunda decoraque laudatio. Edificans Iherusalem dominus, dispersiones Israhelis congregabit. Quia ipse contritos corde sanat et alligat contritiones eorum. Et alibi: Lauda Iherusalem dominum, lauda deum tuum Syon; quoniam etsi antea hodie tamen confortavit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te. Itaque continuata psalmodia regressi sunt ad alias penas. Preelectus vero ad hoc pontifex ipsum dominicum clavum manibus elatis apportans regi attribuit.

XIX. De curatione trecentorum et unius.

Sed et hoc etiam reticendum non est, quod dei larga misericordie exhibitione peractum est. Nam simul ac spine, ut dictum est, extracte floruerunt, mox inde maximus et fragrans odor exiens civitatem totam complevit sanitate. Quippe ex ipso affatim mirifico odore sanitas egris opulentissima emanavit. Trecenti namque et unus curati sunt homines. Sed aliis omnibus fatentibus una brevissimo temporis articulo sibi adventasse curationem diversarum infirmitatum, iste solus viginti pene annos et tres menses habens in infirmitate nequaquam se una simulque visum auditumque et usum loquendi suscepisse confirmabat. Prius namque visum, deinde auditum, postremo loquelam se dei misericordia operatrice testatus est recepisse. Quo audito qui aderant glorificaverunt deum dicentes: Omnes gentes plaudite manibus, iubilate deo in voce exultationis. Magnus etenim dominus et laudabilis nimis et magnitudinis eius non est finis, quia omnes letificat in se sperantes. Hinc et psalmista ait: Suscepimus deus misericordiam tuam in medio templi tui; secundum nomen tuum deus sic et laus tua in fines terre, iusticia plena est dextera tua. Et alibi: Orietur in diebus eius iusticia et habundantia pacis et dominabitur. Iste etenim vere dies domini est, quia et infirmitatum remedia et habundantia pacis populo immissa est; et bene dominabitur, quoniam hodie ab obsessis daemones excluduntur. Quapropter cum alleluia canamus, confitemini domino, quoniam, licet semper in omnibus sit bonus, hodie tamen maxime in suarum penarum receptione ac in istorum curatione nobis minime dubitetur bonus adesse. Etsi enim non numquam misericordia eius in omne seculum larga creditur, nobis tamen hodie potissimum maxima in utroque irroratur. Et sic ordinem huiusce curationis ammirati sunt, computantes in spinee domini corone extractione visum sibi redditum esse, deinde auditum in sectione, postea vero in florum emissionem vinculum lingue esse absolutum affirmant. Nec minus et in sancti receptione clavi eadem miracula fuisse dinoscuntur et plura facta.

XX. De quodam puero sanitati restituto.

Ast multa pretermittendo non esse reticendum iudico, quod factum est de quodam puero, qui aridam manum sinistram et totum latus aridum ab utero matris habebat, et idcirco partis alterius membra pigritudini erant subdita. Nam postquam ipse dominicus clavus de alabastro, quo honorifice reconditus fuerat, extractus aerem pepulit, statim ipse sanitate roboratus ad ecclesiam plenus magni gaudii cucurrit et tunc se pulchro ordine curationum esse curatum propalavit, quia ferme circa horam nonam lecto accubitus et quasi in extasi positus se videre probabili ratione edixit, ex sinistra manu et similiter arido pede clavum et a latere quendam fabrum canutum adunca forcipe lanceam extrahere. Et adhuc eo ista loquente clerus te deum laudamus intonuit clara voce. Quo finito beatus Karolus magnus cecinit hoc psalmiste pio ore: Manus tue domine fecerunt me et plasmaverunt me; da michi intellectum, ut discam mandata tua, que tuis servulis, videlicet meis compatriotis, ostendendo memoriam tuarum penarum liberantium nos plenissime valeam disserere, quoniam qui timent te videbunt me et letabuntur, quia in verba tua supersperavi. Cognovi etenim domine, quia equitas iudicia tua et in veritate tua humiliasti me. Igitur domine fiat misericordia tua ut consoletur nos secundum eloquium tuum servis tuis.

XXI. De repositione reliquiarum in tergore bubalino.

Istis vero atque multis aliis in saccis suis singillatim repositis cum psalmis et ymnis et canticis spiritualibus uterque rex cum suo exercitu feliciter repatrians et saccum de tergore bubalino factum, in quo spineam coronam et clavum, frustum crucis et sudarium domini cum sanctissimis reliquiis, sed et sanctissime virginis Marie matris domini camisiam et cinctorium, unde puerum dominum Ihesum in cunabulis cinxerat, et brachium senis Symeonis insuerat, devotissimus imperator Karolus devotissime deportavit. His igitur omnibus pio affectu pius athleta Christi fideli dispensatione prudentis custodie et prudenti ratione venerationis debite ad collum sue predicande humilitatis per singulos dies suspensis tandem Ligmedon pervenit, ubi aliquanto tempore suos longo itinere fessos misericorditer recreans iam quasi in portum salutis receptus habitavit.

XXII. De resuscitatione cuiusdam pueri et XLIX aliorum salute apud Ligmedon.

Ast ut pretermittam, que in itinere a Constantinopoli usque perdurato facta sunt, quod hic operatrice dei virtute gestum est, quam verissime potero paucis elicere conabor. Ipse itaque ingrediens castrum iam paulo ante taxatum ad ecclesiam divino duce deductus tendebat, quatinus sancta, que longe vie dictis in sacculis ad instar pere factis suppliciter et devote deportaverat, fideliter et pie inibi collocarentur, ut deceret. Sed et alii viri sanctissimi episcopi abbates monachi archidiaconi et levite, ut quisquis ad hec deportanda dignus adesse visus fuerat, alias similiter in saccis digne sarcitas reliquias cotidiane laudis usui dediti tollebant. Ceterum quoque preses prenominati castris Solathiel nomine, quod petitio mea vel petitor dei interpretatur, domi habens filium variis languoribus afflictum regique ad ecclesiam, ut dixi, tendenti obviare properans in grabbato portari precepit. Mater vero Maia nomine, que medicina vel obstetrix dicitur, patris iussione haud tantum incitatur ad ferendum filium, quantum miraculorum fama Neapoli factorum passimque in via et in urbibus, vicis et castris villulisque et agris, que ad aures eorum tamquam ad aliorum dilapsa fuerat; sed dum portabatur, nature concessit. Unde parentes flentes ac ululantes ad regis genua prostrati sunt dicentes: Domine rex amantissime, tuis auxiliare famulis. Ecce unicus nobis erat filius, qui male ab innumeris vexabatur et torquebatur morbis, quoniam debilitate cerebri lumen oculorum amiserat, in naribus vero gibbosus erat. Extrinsecus autem hec. Ciragra manus, podagra pedes scabiesque et prurigo totum corpus dilaniabant. Sed quod magis dolendum erat, intrinsecus epatica passio, immo ebritudo animi, caduca gutta et cotidiana vecordia ipsum desipere faciebant. Unde baburrus et insanus ab omnibus reputabatur. Tibi igitur obviavimus gestientes eum offerre misericordia ac pietate commoti; sciebamus enim te verum Christi militem quedam particulatim afferre de spinea corona et clavum et de crucis ligno frustum, sudarium [domini] et camisiam beatissime semper virginis dei genitricis Marie cum cinctura et affatim de reliquiis sanctorum domini. Et quia de variis infirmitatibus ubique factis miraculis ad nos usque fama pervolavit, confidebamus saltem tantorum signaculo remedia infirmitatis posse filio nostro et salutem etiam corporis et anime impetrare accincti robore fidei (sperabamus); sed, quod dolemus, nature legibus subditus est. Nunc autem quia legitur nulla fides vacua, et, ut dictum est, quoniam de multis et variis languoribus miracula in reliquiarum receptione facta a domino et postea in itinere audivimus esse, venias igitur obsecramus ad corpus exanime. Ipse siquidem imperator ut vidit parentes nimium sese dolore mortui affligentes, pietate compulsus de albissimo mulo, in quo sedebat, quantotius descendit. Tunc pater et mater una voce verba hec eluctati sunt diu emittere: Domine Karole magne, sit hodie maiestas tua nobis postulamus secunda. Quare non differas festinus elicere, que, antequam credantur adesse, dei

misericordia largiente certa sunt advenisse. Namque credimus, si dominici portione ligni fuerit signatum cadaver exanime vel tactum, etsi non vitam presentem, saltem eternam requiem anime possidere. Post hec denique accepit peram oppansam, in qua predictae reliquiae honorifice erant recondite, quam manibus sublevans ad libitinam, ubi iam portitores corpus deposuerant, properabat accedere. Sed ubi sacculi tantum umbra, quem ut dixi appropinquans feretro manibus levarat, cadaver attigit, ilico tantus de corpore exanimi fetor exivit, quod vix et imperator et alii longe etiam stare possent. Tandem Ebroinus mire sanctitatis presul necnon sanctissimus vir archidiaconus Guibertus et Iohel Gerontinus sacerdos et quidam Grecus oriundus nobilioribus Thebanorum Gelasius subdiaconii officio functus et hic vir laudabilis simplicitatis, hii omnes regem hortantur ad corpus appropriare. Gelasius vero sentiens dei adesse virtutem alabastrum de manibus imperatoris suscepit cum sacco, quo predicta sancta erant reclusa, et ad corpus usque cursitando pervenit. Et cupiens lignum dominice crucis elicere appodiavit feretro affructabulum. Quo tacto feretro mox puer Thomas nomine quasi excitatus a somno coram parentibus alacer surrexit. Ea quoque res omnes castrenses ad laudes deo solvendas et gratias impulit, quoniam rumore huiusce rei conciti ad ecclesiam convolant, quisque aut suum egrum deportans sive deducens pedestrem sive iacentem in grabbato cuncti properabant ita conferre. Nec mora medicinali dei omnipotentia quinquaginta uno minus promiscui sexus curati sunt a variis languoribus in utroque. Inibi vero beatus Karolus magnus sex mensibus et uno die sedens suos ex itinere fessos recreabat magnopere; nequaquam tamen virtus dei cessabat miracula facere. Illud etenim castrum in multa sui parte construxerat studiose illicque eiusdem regis omnia ferme gesta, que ultra Renum fecerat, certissime scripta sunt. Preterea itaque recreatis suis inceptum compendiose peragens iter Aquisgrani devenit.

XXIII. Que et quanta dei fuerunt miracula apud Aquas Grani.

Longum est autem enarrare, quot et quanta ibi dominus dignatus est operari. Nam ceci innumerabiles illuminati, demoniosi duodecim, leprosi octo, paralitici quindecim, claudi quatuordecim, manci triginta, gibbosi quinquaginta et duo, febricitantes vero absque nomine et numero, caduci sexaginta quinque, gutturnosi plures. Una etiam vidua mulier insana et filia eius demens, alia quedam matrona de Leodio vesana vinctis manibus post tergum adducta et quamplures ex vicinis locis variis languoribus afflicti reversi sunt incolumes quisque ad propria et contracti viginti et unus erecti sunt. Rex autem ecclesiam ibi mirifice construxit, in qua sancta honorifice recondidit.

XXIV. De convocatione principum et totius populi.

Denique per totum pene orbem terrarum legatos suos misit, quatinus in Idibus mensis Iunii omnes venirent Aquisgrani videre sancta, que de Iherusalem et de Constantinopoli secum detulerat, scilicet de spinea corona, quam pro nobis dominus noster Ihesus sustinuit sua sponte, octo spinas cum roboris parte, ubi fuerunt infixae, et unum de clavis et de ipsa cruce et eiusdem sudarium et beatissime matris eius semper virginis Marie interulam, quam in ipso partu habuit, et fasciam, qua strinxit eum in presepio, et sancti senis Symeonis brachium et alia multa. Itaque turbis undique advolantibus factus est statim sine numero populus. Ceterum postquam ventum est ad constitutum diem, imperator consilio archiepiscoporum presulum abbatumque et aliorum sanctorum virorum

doctos pontifices et alios bonos doctores sermocinando per triginta loca iussit indicere catervis, quoniam multitudo enormis erat, ut priusquam venirent ad tam sancta videre peccata sua confiterentur puro corde. Quod et factum est. Postea vero rex ipse cum omni clero vacante dei laudibus in promuntorium quoddam foris iuxta castrum sancta secum deferens venit; deinde circumstanti populo unaque clero que apportaverat prememorata satagebat denudare. Preterea qui aderant sancti fecerunt sermonem ad populum et semper in Iunio mense et in secunda ebdomada inque quarta feria ieiunii eorum quatuor temporum amodo indictionem spinee corone domini, clavi et ligni crucis sudarii que ac plurimarum reliquiarum sanctarum fieri predixerunt. Et bene in ieiuniis, quia nemo ad tam sancta nisi sobrius et ieiunus purificatusque atque mundus accedere debet, sic quoque, ut in peccatorum remissionem quisque studiose se vera purificet confessione. Quapropter ab indicendo indictum vocatur. Siquis vero scire affectat nomina et numerum archiepiscoporum episcoporum et abbatum ad idem sollempne indictum convocatorum, historiam unde hec excerpta sunt perlegat. Nusquam tamen perfecte omnium nomina et numerum esse comprehensa certissime confidimus, cum scriptorum incuria vel ignorantia in his et similibus quamplurima diminuta pertranseat. Ignorare autem fidelium Christi nolo diligentiam, quia in eadem curie celebritate inter cetera dei magnifica et laudande maiestatis opera cuiusdam mortui legitur facta resuscitatio super corpus exanime posito domini sudario, omni clero et populo laudes illi decantante, cui honor et imperium in secula seculorum sine fine amen.

Explicit liber secundus. Incipit prologus libri tercii.

Propositi nostri negotii lingua licet balbutienti, affectu tamen affluentia parte transcurra superest de exuberanti amenitate vernantis agri flosculos adhuc quamplures collectos in presenti serie operis conferre et quasi de abstrusis favorum cellulis aromatici saporis mella producere. Quia vero christianissimi beati Karoli virtutes et merita licet pro modica parte attigimus, interim adhuc etiam gloriosam seriem signorum ipsius delibemus sola ea nunc quoque degustantes, que per annales eiusdem principis ipsi legimus vel que nostris temporibus mirifice contigisse gloriamur. Siquis vero, ut predictum est, nosse desiderat insignia prefati victoriosi Romanorum principis prelia et multiplices celeberrimasque ipsius victorie palmas, quas deifice virtutis gratia frequentissime optinuit, manifeste et notabiliter in preclarissimis illius gestis repperire poterit universa. Inde enim patenter declaratur, qualiter sagitta eius numquam retrorsum abierit nec declinaverit clipeus eius a bello et hasta non sit aversa, cum tamen ipsius vigilantissima et deo devota sublimitas pro Christi nomine nullum subterfugerit periculum vel sancte fidei nomen propagare vel hostes sancte dei ecclesie expugnare. In presentiarum igitur tercie huius distinctionis inicium ab ea epistola assumemus, quam Tulpinum Remensem archiepiscopum Leobrando Aquisgranensi decano transmisisse in cronicis Francorum apud sanctum Dyonisium in Francia repperimus. Est enim eadem epistola per omnes et singulos sue porrectionis articulos iustissimi et victoriosissimi Karoli magni approbativa, cuius cum sit continentia ordo preliorum in Hispania a prefato imperatore gestorum, pro arbitrio tamen nostro, ut presens exigebat intentio, de multis pauca declaravimus, que in presenti ad miraculorum gloriam congesimus historialia ipsius gesta, ut sepe iam diximus, ab hac serie excludentes. Summe igitur trinitatis exorato auxilio executionis insistamus proposito.

I. Epistola Tulpini Remensis archiepiscopi Leobrando Aquisgranensi decano transmissa sanctitatis beati Karoli magni assertiva.

Tulpinus dei gratia Remensis archiepiscopus ac sedulus triumphalis Karoli magni in expeditione Hispanie socius Leobrando Aquisgranensi decano salutem in Christo. Quoniam nuper mandastis michi apud Viennam cicatricibus vulnerum adhuc egrotanti aliquantulum, ut vobis scriberem, qualiter imperator noster famosissimus Karolus magnus Hyspaniam et Galiciam a potestate Sarracenorum liberavit, mirabilium gestorum apices eiusque laudanda super Hyspanie Sarracenis trophea, que propriis oculis intuitus sum quatuordecim annis Hispaniam perambulans et Galiciam una cum eo et exercitibus suis, pro certo scribere vestreque fraternitati mittere non ambigo. Magnalia enim, que rex gessit in Hyspania, in nullis pene chronicis sufficienter inveniuntur divulgata et, ut michi scripsistis, ea plenarie repperire vestra nequivit fraternitas. Vivas et valeas et domino placeas.

De beata visione stellaris vie.

Gloriosissimus itaque apostolus Christi Iacobus aliis apostolis et domini discipulis diversa mundi climata adeuntibus in Galicia ut fertur verbum dei primitus predicavit. Deinde eius discipuli ipso ab Herode rege perempto ac corpore illius a Iherosolimis usque in Galiciam per mare translato in eadem terra Galicie fidem Christi et predicationem apostoli confirmaverunt. Sed ipsi Galicie populi postea peccatis suis exigentibus Christi fidem abnegantes usque ad beati Karoli magni tempora in infidelitate permanserunt. Hic vero Karolus magnus, postquam multis laboribus diversa orbis regna, Angliam scilicet et Galliam Germaniam Baioariam Lotaringiam Burgundiam Italiam ceterasque regiones innumerasque urbes a mari usque ad mare divinis munitis subsidiis invincibili potentie sue brachio subiugavit et ab infidelium potestate liberavit, christiano imperio subdidit. Tanto igitur sudore ac gravi fatigatus labore, ut requiem sibi daret nec amplius bellum iniret proposuit, cum per visum nocte intuitus est in celo quandam viam quasi stellatam incipientem a mari Frisie et tendentem inter terram Teutonicam et Italiam, inter Galliam et Aquitaniam rectissime transeuntem per Guasconiam Basculamque et Navarriam atque Hispaniam usque Galiciam, ubi corpus beati Iacobi tunc temporis latebat incognitum.

II. Qualiter sanctus Iacobus beato Karolo magno apparuit.

Hec igitur cum beatus Karolus per singulas pene noctes conspiceret, cepit secum meditari sollicite, quid hec visio significaret. Cui talia corde meditati vir quidam pulcherrimam ultra quam dici fas est habens speciem nocte in extasi apparuit dicens: Quid hic agis fili Karole? At ille inquit: Quis es domine? Ego sum, inquit, Iacobus apostolus Christi, filius Zebedei, frater Iohannis evangeliste. Ego sum, quem dominus Ihesus de mari Galilee sua ineffabili gratia vocare dignatus est, quem Herodes rex occidit gladio, cuius corpus in Galicia, que a Sarracenis oppressa detinetur, incognitum requiescit. Unde admodum miror, quod terram illam a Sarracenorum dominio adhuc minime liberasti, qui tot urbes tantasque regiones tibi subiecisti. Quapropter tibi notifico, quia sicut dominus omnium regum terre potentissimum te constituit, sic ad preparandum ad me viam fidelium et liberandam terram meam de manibus Moabitarum ex omnibus te principibus elegit, ut coronam exinde eterne beatitudinis consequaris. Quod autem instar vie stellate in celo vidisti, hoc significat,

quod tu cum magno exercitu ad expugnandam gentem perfidam et visitandam basilicam et memoriam meam ab his horis in Galiciam proficisceris et post te omnes populi a mari usque ad mare peregrinantes et delictorum suorum veniam implorantes illuc ituri sunt narrabuntque laudes domini et virtutes [et mirabilia], que facturus est, sicque ibunt a temporibus tuis usque ad finem presentis seculi. Nunc igitur perge quamcitus poteris, quia ero auxiliator tuus in omnibus sperans propter labores tuos coronam tibi a domino preparatam in celestibus, et usque ad novissimum diem erit nomen tuum in laude. Hoc modo beatus Iacobus apostolus Christi militi Karolo magno tribus apparuit vicibus. Quibus imperator excitus et ammonitus atque apostolica promissione fretus coadunatis exercitibus multis profectus expugnare gentes Hispanie perfidas aggressus est.

III. De subita ruina murorum Pampilone.

Prima urbs, quam obsidione cinxit, Pampilona extitit et sedit circa eam tribus mensibus; sed eam capere non poterat, quia muris inexpugnabilibus munita erat. Tunc precem ad dominum et sanctum Iacobum fudit dicens: Domine Ihesu Christe, pro cuius fide et amore hoc iter arripui, da michi, ut hanc urbem capere valeam ad laudem et honorem nominis tui. Et ad beatum Iacobum sic ait: O beate Iacobe, si verum est, quod michi apparueris, presta ut illam capiam. Tunc deo prestante et beati Iacobi intercessione muri confracti funditus corruerunt, sicut legitur divinitus factum de muris Iherico. Itaque Sarracenos, qui baptizari voluerunt, ad vitam reservavit eosque, qui renuerunt, gladio feriendos tradidit. His auditis ceteri Sarraceni invictissimo Karolo magno ubique sese in deditionem tradebant obviamque ei tributa mittebant et urbes ultro reddebant et facta est illi tota terra sub tributo. Mirabatur gens Sarracenicam videns gentem Gallicam validam scilicet et decenter ornatam atque armatam, sed et facie et statura elegantem, eosque honorifice et pacifice recipiebant armis etiam abiectis. Deinde beatus Karolus visitato beati Iacobi sepulchro accessit ad petram limitarem et infixit in mari lanceam suam agens deo grates et sancto Iacobo, qui illum hucusque conduxissent, dicens, quia ulterius ire nec progredi posset. Galicianos vero, qui post beati Iacobi discipulorumque eius predicationem a fide recesserunt, baptismi gratia per manus Tulpini archiepiscopi regenerari fecit, illos scilicet, qui ad fidem Christi sponte converti voluerunt, qui nondum baptizati erant. Illos autem, qui ad fidem Christi converti noluerunt, aut gladio interemit aut sub christianorum imperio captivavit; deinde per totam ivit Hispaniam a mari usque ad mare.

IV. De subversione ydolorum Hispanie et de ydolo Mahumeth.

Idola et simulachra, que tunc in Hispania invenit, penitus destruxit preter idolum, quod est in terra Alandaluph, quod vocatur Salamcadis. Cadis dicitur locus proprie, in quo est salam, qui lingua Arabica deus dicitur. Tradunt Sarraceni, quod Mahumeth, quem ipsi colunt, ydolum istud dum adhuc viveret in nomine suo fabricavit et demonum legionem arte sua magica in eo inclusit et signavit, que etiam tanta fortitudine illud ydolum optineret, quod a nullo umquam frangi potuisset. Quociens enim aliquis christianus ad illud appropinquabat, periclitabatur ilico. Cum vero Sarracenorum aliquis causa orandi vel deprecandi Mahumeth accessisset, incolumis recedebat. Super quod etiam si avis forte resedisset, mortem incurrebat. Est igitur in maris margine lapis antiquus opere Sarracenco subtiliter exsculptus, super terram situs, inferius latus et quadratus, superius vero altissime erectus, quantum solet avis in sublime volare, super quem statuta est imago

illa de auricalco optimo in similitudinem hominis effigiata, super pedes suos erecta, faciem tenens versus meridiem et manu dextera tenens clavem ingentem, que scilicet clavis, ut ipsi Sarraceni asserunt, de manu eius cadet anno, quo rex futurus in Gallia natus fuerit, qui totam terram Hispanie christianis legibus in novissimis temporibus subiugabit. Mox ut viderint clavero lapsam, gazis suis in terra reconditis omnes fugient.

V. Imperialis largitio ecclesie beati Iacobi et aliis venerabilibus locis collata.

Ex auro, quod Karolo magno reges et principes dederunt Hyspanie, beati Iacobi basilicam tunc per tres annos in illis horis commorans augmentavit, antistitem et canonicos [secundum] beati Ysidori episcopi et confessoris regulam in ea instituit eamque libris et palliis atque campanis vel ceteris ornatibus decenter ornavit. De residuo vero auro argentoque immenso, quod de Hispania attulit, regressus inde decoravit multas ecclesias et fabricavit, ecclesiam scilicet beate virginis Marie que est Aquisgrani et basilicam sancti Iacobi que est in eadem villa et basilicam sancti Iacobi que est apud Biternensium urbem, aliamque in honore eiusdem apostoli apud Tolosam et illam que est in Guasconia inter urbem, que vulgo dicitur Auxia, et sanctum Iohannem Sordue via Iacobitana, et ecclesiam sancti Iacobi que est apud urbem Parisius inter Sequanam et montem martirum et ecclesias atque abbatias, quas per orbem sibi subditum construxit plurimas.

VI. De ultione cuiusdam infidelis divinitus facta in exercitu cesariano.

Reverso demum in Galliam Karolo magno quidam rex Africe nomine Aigolandus cum suo exercitu terram Hyspanie sibi subiugavit interfectis innumeris eiectisque de oppidis et urbibus christianis custodibus, quos ad custodiendam terram beatus Karolus reliquerat. His auditis beatus Karolus cum magno exercitu rursus proficiscitur in Hyspaniam fuitque cum eo dux exercituum Milo de Angulariis. Sed nunc nobis silendum non est, quam grande quamque manifestum exemplum tunc nobis omnibus dominus ostendere sit dignatus super his, qui mortuorum elemosinas ad erogandum pauperibus sibi commissas iniuste retinent. Nam cum apud Baionam civitatem Bascolorum Karoli magni exercitus castra metatus esset, miles quidam nomine Romarius valde [eger] et iam morti proximus accepta penitentia et eucharistia a sacerdote cuidam consanguineo suo precepit, ut equum quem habebat venderet preciumque egenis et clericis erogaret. Quo mortuo consanguineus ille suus cupiditatis stimulo tactus centum solidis equum vendidit preciumque illius in cibo et potu aliisque sibi necessariis velociter expendit. Sed quia iniqua gerentibus divini iudicii vindicta solet aliquando esse proxima, transactis triginta diebus apparuit ei nocte per visum mortuus dicens: Quoniam ea que habebam pro salute anime mee ad dandum pauperibus tibi commisi, scias omnia peccata mea a domino fuisse dimissa. Sed quia iniuste elemosinam meam retinuisti et iustissimi imperatoris piam constitutionem, quam in exercitu suo innata sibi forma boni servandam sanxit, transgredi presumpsisti, noveris te in penis tartareis me loca penalia evadente crastina die futurum et me dei misericordia patrocinate michi integritate fidei et observantia mandatorum incliti cesaris in beatam requiem intraturum. His dictis mortuus disparuit vivusque tremefactus evigilavit. Qui cum summo mane narraret omnibus cuncta que audierat et totus exercitus de tanta visione inter se loqueretur, affuerunt subito clamores in aere sub miserum illum intonantes quasi rugitus leonum, luporum aliarumque ferarum statimque de medio circumstantium a demonibus illis ululantibus vivus

rapitur. Quid plura? Iussu igitur imperatoris queritur quatuor diebus per montes et valles ab equitibus et peditibus et nusquam invenitur. Denique cum post duodecim dies exercitus noster deserta terre Navarrorum querens perditum illum peragrasset, repertum est corpus illius exanimatum et dilaceratum in cuiusdam rupis fastigio, cuius ascensus tribus leugis extendebatur super mare distans a prefata urbe quatuor dierum itinere. Demones siquidem ibidem miseri corpus abiecerant animamque ut creditur in tartara rapuerant. Timore igitur et tremore universus in se exercitus expavescens imperatorie maiestatis leges et constitutiones amplius et perfectius servare decrevit maxime in his, que pio affectu de elemosinis fidelium observari mandaverat.

VII. De hastis nocte in terra fixis et mane facto corticibus et frondibus vestitis.

Postea vero beatus Karolus rex magnus et Milo dux cum suis exercitibus ceperunt Aigolandum per Hispaniam querere inveneruntque tandem illum in terra, que dicitur Campis, super flumen, quod vocatur Ceia, in pratis scilicet in ameno et plano [loco], ubi postea beatorum martirum Facundi et Primitivi basilica grandis et decora iussu et auxilio beati Karoli noscitur fabricata, in qua et eorundem martirum corpora requiescunt, et est monachorum congregatio ibi constituta. Appropinquantibus autem beati Karoli exercitibus mandavit Aigolander Karolo optionem preliandi secundum velle suum, vel viginti scilicet contra viginti vel quadraginta contra totidem vel centum contra centum vel mille adversus totidem vel uno contra unum vel duobus contra duos decertantibus. Interea missi sunt a beato Karolo magno centum ex suis contra centum Aigolandi milites et interfecti sunt Sarraceni. Deinde misit Aigolander ducentos contra ducentos Karoli magni milites et statim occisi sunt omnes Mauri. Item misit Aigolander duo milia contra duo milia, e quibus alia pars occisa est, alia terga vertit. Tercia vero die iecit sortes Aigolander secreto, in quibus agnovit imperatoris Karoli detrimentum et mandavit ei, ut ad pugnam plenariam contra eum die sequenti veniret, quod ab utraque parte concessum est. Tunc astiterunt quidam ex christianis, qui sero ante diem belli arma sua bellica studiose preparantes hastas suas in terra infixerunt erectas ante castra scilicet in pratis iuxta prefatum flumen, quas summo mane corticibus et frondibus invenerunt vestitas, hi scilicet, qui in acie proxima palmam martirii pro fide Christi erant accepturi. Unde ultra quam dici fas est ammirantes tantumque miraculum divine gratie et meritis fideique imperatorie ascribentes absciderunt hastas prope terram, quarum radices, que in terra remanserunt, ex se postea magna generaverunt nemora, que adhuc in eodem loco apparent. Erant autem multe ex hastis fraxinee. Die igitur sequenti commissa est contra hostes pugna, in qua occisa sunt christianorum quadraginta milia, et dux Milo Rotlandi genitor ibidem palmam martirii adeptus est cum his, quorum haste ut dictum est fronduerant; sed et Karoli magni equus in eadem pugna interemptus est. Tunc imperator constanter permanens cum duobus milibus christianorum peditum et ipse pedes, cum se inter innumera hostium milia cerneret circumvallatum, evaginavit gladium suum et multos Sarracenorum trucidavit. Die vero advesperascente tam christiani quam Sarraceni in castra revertuntur. Altera die Aigolander in fuga versus in Legionensium fines secessit et triumphator Karolus interim in Galliam remeavit. Hec igitur excerpta de prestantissimi Tulpini epistola hoc in loco sufficiant, cetera ab ipsius imperatoris requirantur historia super his, que gloriose et magnifice ab ipso gesta sunt in Hispania. Nunc vero quod superest ab ea inenarrabili dei potentia, que fidelis sui athlete meritis aquam de torrentis concavo produxit, ordiemur divini favoris clementia subsequenter dicturi de reliquis.

VIII. De productione fontis a concavo torrentis.

Primo igitur, ut ordinis permittit ratio, intendimus illud divine pietatis opus vestram devotionem non latere, quod etiam in gestis gloriosissimi Karoli magni magnifice legimus accidisse. Rex namque Karolus magnus tempore Saxonici furoris congregato apud Wormaciam generali conventu Saxoniam bello aggredi statuit eamque sine mora ingressus ferro et igne cuncta populatus Eresburgum castrum (ut dictum est) cepit ydolumque, quod Irminsul a Saxonibus vocabatur, evertit. In cuius eversione cum in eodem loco per triduum moraretur, contigit, ut propter continuam celi serenitatem exsiccatis omnibus illius loci rivis ac fontibus aqua ad bibendum inveniri non posset. Cum ergo christianissimus imperator nullatenus se inde egressurum novisset, nisi prius plena eiusdem loci et ydoli ad laudem et gloriam nominis dei subversio facta fuisset, omnipotens sui militis in se sperantis voto et precibus clementissime annuit. Sicut enim populo Israhelitico in Raphidim precibus dilecti sui Moysi copiosa aquarum de petre duricia produxit fluentia, ita misericordie sue fecunda benignitate meritis et intercessione sui bellatoris incliti exercitum predicto in loco iam deficientem habundanti fontis de profundo arentis fluminis egressi recreavit habundantia. Ne etenim diutius siti confectus laboraret exercitus, divinitus factum creditur, ut quadam die, cum iuxta morem tempore meridiano cuncti pene preter ipsum regem, cuius pre omnibus animam pertransibat gladius, quiescerent iuxta montem, qui castris erat contiguus, tanta vis aque in concavo cuiusdam torrentis eruperit, ut exercitui cuncto copiosissime sufficeret.

IX. De duobus scutis sanguinei coloris apud Heresburch visis.

Alio quoque tempore prenominato victoriosissimo et christianissimo rege post captivitatem et decollationem Rodgaudi nefandissimi tyranni in Francia reverso et de negociis sancte ecclesie et regni fideliter et prudenter disponente Saxones cognita ipsius absentia more solito ruptis sacramentis in unum conglobati Heresburg castrum aggrediuntur fraudulenter Francis suadentes, ut de castro exeant et cum pace in patriam pergant. Sed cum illi fallacibus monitis minime assensum preberent, machinas preparant, munitionem obsidione cingunt et summis viribus certant, sed nichil proficiunt. Quadem itaque die cum iterum redivivo certamine bellum preparassent, apparuit gloria dei manifeste supra domum ecclesie, que erat infra castrum, videntibus multis tam christianis quam paganis. Nam duo scuta apparuerunt supra prefatam ecclesiam sanguineo colore flammantia et velut in prelio quibusdam motibus agitata. Itaque pagani hoc signum aspicientes timore et formidine repleti mox in fugam conversi sunt et in tantam amentiam devenerunt, ut strictis gladiis mutuis se armis confoderent. Quanto vero illi pavore perterriti magis fugerunt, tanto amplius christiani confortati omnipotentem deum laudabant, qui salvos facit sperantes in se. Ex predicto etiam loco cum tanta confusione discedentes venerunt ad illud castrum, quod appellatur Desuburg, ubi similiter facere voluerunt. Sed dei virtute sui fidelissimi athlete Karoli magni regnum et consilium per omnia prosperante nichil prevaluerunt, sed confusi et anxii in sua se receperunt.

X. Qualiter duo iuvenes in albis vestibus apud Fricdislar visi sunt divinitus.

Iisdem etiam temporibus glorioso rege prefato in Teodonis villa hyemandi causa moram faciente missus ab Adriano papa legatus nomine Petrus illuc eum adiit invitans eum et lacrimabiliter obtestans, ut pro dei amore seu pro iusticia sancti Petri acquirenda et defendenda super Desiderium

veniret eiusque immanitatem et tyrannicam invasionem potenter retunderet. Generali igitur suorum primatum consilio regia dictante censura et divina previa inspiratione illas in partes est profectus. Quod cum cognovisset Desiderius, regi et Francis cum armatis occurrit. Tunc rex castra posuit ad clusas et misit occulte unam scaram de electis viris per montana. Hoc sentiens Desiderius statim clusas reliquit et quamcitus potuit Papiam est ingressus. Rex autem auxiliante deo et intercedente beato Petro sine lesione Italiam ingressus est. Cum vero Papiam pervenisset, Desiderium intrinsecus latitantem obsedit ibique in sua castra celebravit natale domini et pascha.

Rex igitur dum illis in partibus pro huiuscemodi negotio moram faceret, Saxones occasione accepta postpositis sacramentis in finibus Francorum impetum fecerunt et usque ad castrum, quod nominatur Buriaburg, venerunt. Quorum adventum incole loci persentientes in iam dicta munitione se receperunt. Igitur cum prefata gens seviens cepisset forinsecus villarum edificia concremare, venerunt ad quandam basilicam in loco, qui dicitur Fricdislar. Ceperunt autem prefati Saxones omni intentione certare adversus eandem basilicam, quemadmodum per aliquod ingenium igne cremare eam potuissent. Et cum hec agerent, apparuerunt quibusdam christianis in castello similiter et quibusdam paganis, qui in eodem erant exercitu, duo iuvenes in albis vestibus, qui ipsam basilicam ab igne protegebant, et propterea non potuerunt neque interius neque exterius ignem accendere. Interea nutu divine maiestatis pavore perterriti in fugam conversi sunt nemine persequente. Inventus est autem unus postea ex eisdem Saxonibus mortuus iuxta ipsam basilicam flexis genibus acclinis supra pedes habens ignem et ligna in manibus et velut ore flaret ipsam basilicam crematurus.

O virum virtutis magnifice, cuius absentiam divine manus potentie supplere dignabatur, cuius non solum umbra sed virtutes et merita longe lateque distantes imperii sui terminos celesti gratia protegente quasi muro iuexpugnabili defendebant et constanter in manu valida protegebant.

Miraculum in consecratione Anianensis archisterii revelatum.

Alio denique tempore superna benignitate et celestis dignationis visione idem deo dilectus beatus Karolus in spem eterne expectationis certissima dei misericordia est animatus. Inter cetera namque multiplicium ecclesiarum et monasteriorum edificia regali etiam ut dictum est munificentia ingentique labore et opera monasterium Anianensis archisterii edificavit, quod idem deo devotus princeps a sancto spiritu preventus non in alicuius sanctorum pretitulatione, sed in ipsius deifice trinitatis nomine a tercentenis sexagenis et senis pontificibus quarto Kalendas Ianuarii consecrari fecit. In cuius sanctissimo opere quale ibi apparuit miraculum, vestre caritati intimare dignum duximus. Nocte suprema cum omnes quieti membra dedissent et nemo ex illa multitudine vigilaret preter regem ipsum et Colonie pontificem atque ipsius loci abbatem nomine Benedictum, subito viderunt domum dei totam quasi succensam igni, cuius cacumen celos tangere videbatur et de medio ignis vox egressa est cum magno sonitu et ita locuta: Sanctificavit dominus tabernaculum suum, in quo quicumque fidei corde et mundo corpore advenerit et veniam quesierit, omnium criminum remissionem reportabit. Rubi Moysaici, qui visus est ardere, in presenti miraculo ammirare mysterium iamque in secunda Moysi expressione dei laudemus magnificentiam. Si autem presenti oraculo omnium criminum venia et remissio devote ibidem orantibus celitus promittitur, quid ei divinitus credimus reservatum, cuius fidei et tota mentis devotione, cuius ingenti non tantum impensa sed et sudore idem monasterium a sui principio est fundatum? Apud quem enim capillus aut aque frigide calix in nomine prophete datus nescit perire, qualiter huius operi eminentia

in nomine salvatoris anima et mente tota elaborata deperat? Sanctissimis igitur ipsius meritis hec celestis visio in ignis similitudine fervorem imperatorie caritatis apparuit, que incorrupta testis dignam superesse eterne retributionis coronam asseruit. Ea namque suum tabernaculum sanctificasse declaratur altissimus, cuius est prius personam quam munera persone respicere. Unde etiam legitur prius ad Abel quam ad eius munera respexisse, ad Cain vero nec ad munera illius respexit. Ut autem summe trinitatis indivisa commendaretur operatio in augmentum fidei, eo quod in ore duorum vel trium testium stat omne verbum, merito et sanctitate fundatoris duorum testium presentia, episcopi scilicet et abbatis, eandem visionem credimus roboratam et in ampliorem spem eterne remunerationis manifestis indiciis declaratam.

Testimonium fidele.

Beatissimi quoque Servatii celebris et gloriosa translatio sanctitatis imperatorie testimonium, cui refragari non potest, perhibere gloriatur, sicut ex ipsius hystoria legentibus intimatur.

Auditum etiam et celebri sermone vulgatum est de cervo quodam divinitus ante faciem augustalis exercitus prevadente et imperialem exercitum celitus liberante.

Nota est pluribus et visu oculorum certificata illa dei clementia, que suis fidelibus meritis sui athlete sepulchra preparavit, que etiam certis indiciis dominice crucis suos intimavit. Hec autem et similia infinita pertranseo sola ea degustans, que in libris authenticis reperio.

XI. De venerabili apostolatu cari deo Karoli magni.

Quia vero libet et super mel et favum dulce est magnifici Karoli predicanda signa revolvere, quis sui apostolatus Saxoniam, Hispanorum quoque et Fresonum Winidorumque multitudinem et aliorum plurium fidei titulo per illum insignitam inter miraculorum eius seriem immo excellentius non extollat? Quis enim digne dei queat magnalia attollere, cuius precipue in vita et meritis beatissimi sepe dicti Karoli enituit gratia per salutem animarum unda baptismatis et lavachro regenerationis emundatarum? Liquido enim in chronicis eius datur inveniri, qualiter frequenter barbaras nationes comprimens, motum quoque cursumque furoris Teutonici cohibendo reprimens in chamo et freno maxillas eorum, qui deo approximare nolebant, constrinxerit, et quomodo trahendo eos triplici funiculo Salomonis et fune prophetico cadente in preclaris in odore unguentorum sponsi currere compulerit. Ut autem a generalibus ad specialia quedam competens declinet inspectio, ibidem patenter legitur, quanta virtutis et artis industria saxeae Saxonum corda deo cooperante et sue gratie illis rorem infundente mollierit et a rigore incredulitatis usque ad consensum christiani nominis suscipiendi tractabilia reddiderit; quos postea rebellantes et christianitatis religionem, cuius se cultores professi erant, quasi fedifragos respuentes zelo dei fervens precibusque minas addens regaliter fidei iugo in virtute potenti et brachio extento astrictos subiecit. Ut enim ex ante latis innotuit, Winidorum quoque et Fresonum infinita numerositas baptismatis unda regenerata ad dominum est conversa. Decem milia quoque hominum ex his, qui utrasque ripas Albis fluminis incolebant, cum uxoribus et parvulis sublatos transtulit et huc atque illuc per Galliam et Germaniam multimoda divisione distribuit. Eaque misericordie et pia conditione ab ipso imperatore proposita et ab illis suscepta tractum per tot annos bellum constat esse finitum, ut omnes generaliter abiecto

demonum cultu patriisque cerimoniis relictis christiane fidei atque religionis sacramenta suscipere. Inter quos Widichinum quoque virum prepotentem genere nobilem sed duricia et immanitate morum ignobilem, utpote tot malorum auctorem, totius perfidie incentorem, baptizari apud Adtiniacum effecit et ipse illum de sacro fonte suscepit, quem denuo sibi amicissimum ad laudem dei et bonorum omnium donis magnificis honoravit et verbo salutis frequenter commonuit loricaque fidei et galea spei salubriter munivit. Baptizatus etiam ibidem Albio legitur tunc temporis et nobilitate clarissimus et virtute famosissimus.

O virum virtutis evangelice, o virum liberalis munificentie. Poterat equidem Widichinum peccantem et alios in laqueos mortis secum trahentem merita morte punire; sed piger ad penas princeps, ad premia velox dominice memor sententie mortem peccatoris noluit malens illum converti et vivere quam presenti vita exutum mitti in gehennam, quatinus cum in non baptizato imitatus esset eum, qui calamum quassatum non conterit et linum fumigans non extinguit, imitaretur nichilominus in baptizato eundem illum, qui de Saulo sui gratia fecit Paulum. Que igitur cecorum visio, que aurium adapertio, que paralticorum curatio, que demonum ex oppressis corporibus expulsio, que mortuorum resuscitatio, que denique cuiusquam miraculi glorificatio maior immo aut equalis esse poterit saluti animarum, cuius ratione ad imaginem et similitudinem dei creatus est homo? Quanto igitur anime dignitas luteum corporis precellit habitaculum, tanto gloriosior est restitutione corporis curatio animarum. Si autem est gaudium angelorum super unius peccatoris penitentia, quot et quanta angelicis choris imperator tante auctor et causa conversionis tripudia contulit exultationis? Vere igitur fidelis crediti talenti fenerator cum lucro geminate pecunie ad dominum rediit reportansque Christo veniente manipulos mercedem operis commissi, metens myrram suam cum aromatibus suis glorie immarcescibilem coronam emeruit. O vere beatum virum apostolice dignitati iuste comparandum. Ad iudicium namque domino veniente Petrus Iudeam, Andreas Achaiam, ceteri diversa protrahent regna, inter quos vir venerabilis vite Karolus non tantum sui apostolatus Saxoniam a sordibus ydolorum suo sudore dealbatam verum et alias diversas mundi producet partes. Fuit enim lucerna ad laudem et gloriam christiani nominis se consumens, pro salute multorum suum suorumque sanguinem ubivis locorum ad effundendum exponens domino deo in omnibus fideliter deserviens. Ecce igitur karissimi advertite omnes, qui christiana professione censemini, quanta virtute animi summus iste hominum ea, que huic inimica sunt nomini, respuit et ea, que sunt apta, Christo adiuvante quanta humilitate sectari studuit. Animadvertite inquam o milites Christi columbinam simplicitatem et leoninam feritatem. Quem enim latet eius in hostes virtus indomabilis, eius clementia in subiectis ammirabilis? Erudimini igitur qui iudicatis terram, erudimini inquam nobilissimo nobilissimi huius imperatoris exemplo et intelligite, piissimus Karolus quam necessarium, quam salutare, quam beneficum successoribus suis clementie providit exemplum. O vere preclari predecessoris preclara hereditas. Optima namque hereditas liberis a patribus, ab antiquis relinquitur posterioribus omnique patrimonio prestantior gloria virtutis rerumque gestarum, que nichil aliud est quam quedam probitatis indicta necessitas. Innatum vero specimen virtutis et forma omnis clementie huic dei famulo adeo fuit ingenita, ut nullo extrinsecus indigeret exemplo. Necesse enim ab exiguis animalibus, apibus scilicet, morum formulam et probitatem sibi exemplariter trahere non habuit, quarum regem seivum esse natura noluit, dum ei telum detrahens iram eius inermem reliquit. Rex enim ipse apum sine aculeo est, in quo magnis regibus exemplar ingens est propositum. Sed iam nunc tempus est illa divine maiestatis evolvere miracula, que augustalis transitus fuerunt preambula.

XII. De celestibus presagiis augustalis transitus preambulis.

Multifariam enim et varie passim fecunda bonitate divine clementie beatus Karolus per omnem cursum etatis miraculorum serie resplenduit, que pro minima quidem parte attigimus, tum quia nec omni scripture nec omnium spiritui in singulis articulis credendum esse usque ad rescriptum iudicavimus. Quanta vero eiusdem imperatoris sint preconia per singula terrarum spacia, quibus innotuit vel sue virtutis potentia vel boni odoris fragrantia vel sue maiestatis presentia, tam conscribi difficile est quam scitu impossibile. Quanta denique meritorum sanctitate floruerit, quanta vite et morum integritate deo placuerit, id etiam evidenter ante venerabilem ipsius transitum divinitus per annos aliquot est prefiguratum. Sicut enim annalium eius habet continentia, appropinquantis finis eiusdem plura fuere presagia, quibus prope et longe positis tam urbibus quam populis lacrimabilis obitus tanti principis presagis mentibus innotuit. Ipse quoque vir deo plenus in spiritu sancto suam presentis vite prescivit dissolutionem et future glorie instare revelationem. Per tres namque continuos viteque termino proximos annos solis et lune creberrima extra cursum nature iterabatur defectio, quam neutrius luminis mutua cogeat oppositio. Fideli namque et prudenti rationum astronomie, qua non modicum peritus fuerat, ipse facta calculatione, luminibus prefatis in cauda et capite ecliptici draconis diametrica dimensione non inventis aliquid grande futurum sensit minitari, quod per spiritus sancti revelationem, ut dictum est, de se presentiens timore mortis presentis nequaquam concutitur, sed spe future beatitudinis apud se constantius animatur et terrenorum penitus amore postposito iamiamque cum apostolo cupiebat dissolvi et esse cum Christo. Quid igitur per solis luneque eclipsim competentius designabatur quam defectus eius principis per fines orbis terrarum notissimi, qui vere sol sanctis illuxit ecclesiis? Unde merito illud prememoratum est elogium: Karolus ecclesiis ut lune lumina solis et cetera. Eundem etiam beati viri transitum et macule nigre prodigium in sole perspectum prefiguravit.

Legitur namque, quia eodem tempore macula quedam atrii coloris in corpore solari spacio septem dierum fuerit visa, quod prodigium itidem plurimum cum quadam ammiratione et significatione doloris in se oculos omnium converterit.

Stella quoque Iovis quasi per lunam transire visa est. Fuit etiam eclipsis lune et apparuerunt acies mire magnitudinis in eadem nocte. Sed et stella Mercurii visa est in sole quasi parva macula, nigra tamen paululum superius medio centro sideris eiusdem, que octo diebus conspecta est. Que quando intraverit vel exierit, nubibus impredientibus minime notari potuit.

Legitur etiam aliquot ante diem obitus sui annis sidus Martis in toto celo non comparuisse, quia quasi pacis auctorem in terris sui regni subversorem significabat imperare.

Porticus etiam, quam inter Aquensem basilicam et regiam operosa mole construxerat, die ascensionis domini subita ruina usque ad fundamenta est collapsa.

Item pons Reni apud Magontiacum, quem ipse per decem annos ingenti labore et opere mirabili ita construxit, ut perhenniter durare posse videretur, ita tribus horis fortuitu incendio conflagravit, ut preter quod aqua tegebatur, ne una quidem astula ex eo remaneret.

Ipse quoque cum ultimam in Saxoniam expeditionem contra Godefridum regem Danorum ageret, quadam die, cum ante exortum solis castrum egressus iter agere cepisset, vidit repente delapsam

celitus cum ingenti lumine facem a dextra in sinistram per serenum aera incurrere. Cunctisque hoc signum quid portenderet ammirantibus subito equus cui insidebat capite deorsum merso decidit eumque tam graviter ad terram elisit, ut fibula sagi rupta balteoque gladii dissipato a festinantibus qui aderant ministris exarmatus non sine amminiculo levaretur.

Iaculum quoque, quod tunc manu forte tenebat, ita elapsum est, ut viginti vel eo amplius pedum spacio longe iaceret.

Accessit ad hoc creber Aquensis palatii tremor et in domibus, ubi conversabatur, assiduus laqueariorum crepitus.

Tacta etiam de celo, in qua postea sepultus est, basilica; malum aureum, quo tecti culmen erat ornatum, ictu fulminis dissipatum et supra domum pontificis, que basilice erat contigua, est proiectum.

Erat in eadem basilica in margine corone, que inter superiores et inferiores arcus interiorum edis partem ambiebat, sinopide scriptum, quis auctor esset eiusdem templi, cuius in extremo versu legebatur: Karolus princeps. Notum autem quibusdam eodem quo decessit anno paucis ante mortem mensibus eas quas princeps exprimebat litteras ita esse deletas, ut penitus non apparerent; sed superiora omnia sic aut dissimulavit aut sprexit, ac si nichil horum ad res suas quolibet modo pertineret. Erat enim eius magnanimitas perpetua et immutabilis tam in adversis quam prosperis mentisque constantia nulla eorum mutabilitate vel vinci poterat vel ab his, que honeste ceperat, defatigari. Fortis equidem in adversis, humilis per prospera pacis nec terrore teri potuit nec munere frangi utrumque statum mundi lance pensans equali. Fuit namque omnium, qui sua etate dominabantur, et prudentia maximus et animi magnitudine prestantissimus, nichil in his, que suscipienda erant vel exequenda, aut propter laborem detrectavit aut propter periculum exhorruit, verum unumquodque secundum suam qualitatem et subire et ferre doctus nec in adversis cedere nec in prosperis falso blandienti fortune assentire solebat. Vere enim digitus dei in omnibus ei cooperabatur. Iste enim, etsi innumera in diversis terrarum partibus bella a prima iuventute contra Francos exorta sint, sollerti vigilantia omnia et singula sic administravit, ut merito intuentibus in dubium venire possit, utrum in eo aut laborum patientiam aut felicitatem mirari conveniat. Cum enim quadraginta et septem annis regnaverit, numquam tamen dies pacis toto regni sui tempore habuerit, in diversis tamen terrarum partibus continua plura et grandia bella summa gessit felicitate et prudentia. Unde innate virtutis constantia pronostica sue resolutionis mira et laudabili, ut dictum est, et cognovit providentia et pertulit patientia beatissimi Iob constanti roboratus memoria.

XIII. Exemplar beate memorie.

Sed quia iam tempus est ad celeberrimam illam ipsius elemosine munificentiam descendere, quam testamentaria celebravit sollempnitate, intendimus summopere et in gloriosissimo Karolo opus misericordie et magnificum virtutis specimen attollere et ad exempli huius bonam emulationem quosque fideles invitare. Erudimini igitur et vos, qui iudicatis terram, et in cordibus vestris cum munificentissimo imperatore psallite dicentes: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Et item: Benefacit anime sue vir misericors. Ante oculos enim idem deo dilectus illam salutarem Tobie inrequiete replicabat ammonitionem, qua filius a patre in hunc modum instruitur: Ex substantia tua fac elemosinam et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere. Ita enim

fiet, ut nec avertatur facies dei a te. Premium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis, quoniam elemosina et a morte liberat et non patitur animam ire in tenebras. Ipsa enim est, que purgat peccatum et facit invenire vitam eternam. Hanc igitur formam salutis incessanter volvens ante oculos mentis, ammonitus etiam, quia breves sunt dies hominis, in ipsa novitate supra memorate visionis triennio ante obitus sui diem zelo dei et pietatis et pio affectu sue salutis thesauros et omnem cameram et vestiarii sui suppellectilem discreta ratione divisit sciens etiam, quia fiducia magna coram deo esset elemosina. Sollempni igitur et generali facta suorum maxime principum fidelium regni convocatione et concilio Aquisgrani indicto coram episcopis et abbatibus et nobilissimis baronibus et ministris suis hanc suam constitutionem atque ordinationem fecit et instituit summa diligentia contestatus eos, ut post obitum suum a se facta distributio per illorum suffragium rata permaneret. Insuper etiam quid ex his, que diviserat, fieri vellet, breviario cartaque sollempniter signata comprehendit, unde non solum scilicet elemosinarum suarum largitio ordine et ratione perficeretur, sed etiam ut heredibus certa et competenti partitione assignata et pragmatica sanctione roborata occasio controversandi tolleretur. Non solum enim suis diebus pacis amator et auctor extitit, immo et posteris suis diligenti vigilantia providere studuit tempora beate quietis et vinculum caritatis.

XIV. De salutari distributione testamentarie miserationis.

Ea igitur devota intentione et fideli proposito omnem substantiam suam atque suppellectilem, que in auro et argento gemmisque et ornatu regio die presentis constitutionis in camera aut vestiario suo atque thesauro eius inveniri poterat, primo quidem trina divisione partitus est. Deinde easdem partes subdividendo de duabus partibus viginti et unam partem fecit, tertiam integram reservavit. Et duarum quidem partium in viginti et unam partem facta divisio tali ratione constitit, ut quia in regno eius metropolitane civitates XX et una esse noscuntur, unaqueque illarum partium ad unamquamque metropolim per manus heredum et amicorum suorum elemosine nomine perveniat et archiepiscopus, qui tunc temporis illius ecclesie metropolitane rector fuisset, partem, que ad suam ecclesiam data est, suscipiens cum suis suffraganeis partiatur eo scilicet modo, ut pars tertia sue sit ecclesie, due vero partes inter suffraganeos dividantur. Unaqueque vero harum partium semotim in suo reposito cum superscriptione civitatis condita servabatur.

XV. Nomina XX et unius metropoleorum illius temporis.

Dignum vero estimavi eorum metropoleorum nomina vestre intimare caritati: Roma, Ravenna, Mediolanum, Forum Iulii, Gradus, Colonia, Magontiacus, Iuvanum que est Salzburg, Rothomagus, Treveris, Senonis, Vesontia, Lugdunum, Remis, Arelas, Vienna, Darantasia, Ebordunum, Burdegala, Turonis, Bituriges.

De subditione tercie partis.

Duabus igitur partibus sic distributis et sub sigilli impressione reconditis voluit, ut tertia in usu cotidiano versaretur omnis voti obligatione soluta. Hoc autem tamdiu sic permanere voluit, quoadusque vel ipse mansisset in corpore vel usum eius sibi necessarium iudicaret. Post obitum vero suum aut voluntariam secularium rerum carentiam eadem pars quatuor subdivisionibus secaretur et una quidem earum supradictis XXI partibus adderetur, altera a filiis ac filiabus suis filiisque ac filiabus filiorum suorum assumpta iusta et rationabili inter eos partitione divideretur.

Tercia vero consueto christianitatis more in usum pauperum fuisset eroganda; quarta simili modo nomine elemosine in servorum et ancillarum usibus palatii famulantium sustentationem distributa veniret. Ad hanc terciam totius summe portionem, que similiter ut cetera ex auro et argento constat, adiungi voluit omnia ex ere et ferro aliisque metallis vasa atque utensilia cum armis et vestibus alioque precioso aut vili ad varios usus facto suppellectili, ut sunt cortine, stragula, tapetia, viltratoria, sagmata, et quicquid in camera atque vestiario eius eo die fuisset inventum, ut ex hoc illius partis divisiones fierent et erogatio elemosine ad plures posset pervenire. Capellam, id est ecclesiasticum ministerium, integrum reservari neque ulla divisione scindi ordinavit. Similiter et libros, quorum magnam in bibliotheca sua copiam compilavit, una cum capella iusta estimatione vendi et precium in pauperes erogari instituit. Inter ceteros thesauros atque pecuniam tres mensas argenteas et auream unam precipue magnitudinis et ponderis fuisse constat. De quibus decrevit, ut una ex his, que quadrangula forma descriptionem urbis Constantinopolitane continet, inter cetera donaria, que ad hoc deputata sunt, Romam ad basilicam beati Petri apostoli deferatur, et altera, que forma rotunda Romane urbis effigie figurata est, episcopo Ravennatis ecclesie conferatur. Terciam, que ceteris et operis pulchritudine et ponderis gravitate multum excellit, que ex tribus orbibus conexas totius mundi descriptionem titulis ac minuta figuratione complectitur, et auream illam, que quarta esse dicta est, in tercie illius inter heredes suos atque in elemosinam dividende partis augmentum esse constituit. Unam vero partem sibi reservavit, quam dedit Benedicto abbati sancti salvatoris Anianensis archisterii, videlicet brateas aureas cum gemmis contextas, balteos aureos similiter gemmatis. Calices aureos sive argenteos cum patenulis et offertoriis. Inter alia dona dedit ei sceptrum regale ex ebore valde mirificum. Hec autem et alia plurima magne liberalitatis munera ab ipso imperatore prefato abbati pro dilectione loci et persone sunt collata. Ardoni quoque, qui et Smaragdus, religioso monacho eiusdem cenobii, dedit tabulam lapideam, quam qui percutit magnum sonum velut es reddit, quam Aaron rex Persarum loco maximi muneris inter alia sibi miserat. Hanc autem constitutionem atque ordinationem summa cum devotione coram episcopis, abbatibus et comitibus, qui tunc presentes esse potuerunt, fecit atque constituit, quorum numerum et nomina hystoria imperialis declarat. Hec autem omnia diligentissime summa cum devotione Ludovicus, qui ei divina iussione successit, inspecto eiusdem testamenti breviario quam celerrime potuit post obitum eius adimplere curavit. Quis dilectissimi dignis attollat laudibus hanc talem et tantam tamque discretam imperialis elemosine largitionem? Quis karitate Christi ardentior? Quis ad opus misericordie liberalior? Ut enim ex predictis innotuit, largitionem elemosine ipsius non solum sua novit patria verum trans maria eandem affluentissime Kartago, immo tota persensit Africa, Egyptus et Siria, Iherusalem et Alexandria cum aliis innumerabilibus populis et urbibus. Incessanter namque illudolvebat ignem peccati aqua elemosine extingui. Nec ut plerumque fieri solet, morbo ingravescente vel timore mortis tanta exuberavit munificentia, sed qua enutritus a prima etate fuerat usque in diem mortis effloruit misericordia, certam spei et salutis sibi preparando coronam apud eum, qui solus retributor est bonorum omnium, thesaurizans sibi premium bonum in die necessitatis. Erudimini igitur quique fidelissimi, quinimmo erudimini vos, qui terram iudicatis, in archano mentis specimen hoc virtutis incessanter revolvite, liberalitatem et formam imperatorie munificentie operis exhibitione ante oculos iudicis cuncta cernentis in holocaustum suavitatis exhibete.

XVI. De glorioso sed lacrimoso transitu imperiali.

Quia vero iam tempus est ad longe ante prefiguratum gloriosum ipsius declinare transitum, quis lacrimis abstergeat, quis tota mentis intentione non ingemiscat tanti luminis occasum, tanti solis attendens defectum? Lacrimosus igitur lacrimosam preferens materiam illo generali me sublevo decreto, quo sancitum est, quia omnia orta occidunt et aucta senescunt, fecundius tamen et longe beatius exultans in gaudio, quia ipsum angelici chori in domino Ihesu constanter confido interesse consortio. Etatis igitur sue auno circiter sexagesimo octavo omnibus totius sui imperii terminis in pacis tranquillitate compositis, coronato etiam filio suo Ludovico et commisso ei totius regni negotio nichil aliud agere cepit, nisi orationibus et elemosinis vacare et libros corrigere; inter que summe sanctitatis dona quatuor etiam evangelia Christi, que pretulantur nominibus Mathei, Marchi, Luce et Iohannis, in ultimo ante obitus sui diem cum Grecis et Syris diligentissime examinaverat; libris divinis sine intermissione insudabat. Anno vero circiter septuagesimo primo cum de more solito Aquisgrani hyemaret, mense Ianuario febre valida post balneum correptus decubuit. Qui statim, ut in febribus solebat, cibi abstinentiam sibi indixit arbitratus hac continentia morbum posse depelli vel certe mitigari. Sed accedente ad febrem lateris dolore, quem Greci pleuresin dicunt, illoque adhuc inedia retinente neque corpus aliter quam rarissimo potu sustentante, septimo postquam decubuit die, vocato ad se familiarissimo suo Hildebaldo pontifice, sacram communionem percepit et illum psalmi versiculum psallens domino decantabat: In te domine speravi, non confundar in eternum, in iusticia tua libera me. Septuagesimo igitur secundo anno etatis sue, regni autem quadragesimo septimo subactaque Italie quadragesimo tercio, ex quo imperator et augustus appellatus est quarto decimo, indictione septima, anno incarnati verbi octingentesimo quarto decimo, quinto Kalendas Februarii, hora diei tertia gloriosissimus et deo dilectissimus Karolus magnus sciens divine vocationis horam instare, ut transire debeat ex hoc mundo ad patrem, extensa manu dextera virtute qua poterat signum sancte crucis fronti imprimens et super pectus omne corpus consignavit. Novissime vero colligens pedes suos extensis brachiis et pedibus super corpus inperterritus et hilari vultu circumstantes respiciens eisque valedicens oculos clausit psallens hunc leniter versiculum: In manus tuas domine commendo spiritum meum. Et hoc dicens in domino obdormiens in senectute bona et plenus dierum rebus humanis excessit inter choros angelorum veste beate immortalitatis indutus et laurea eterne felicitatis cum fidelibus Christi coronatus. Corpus igitur more sollempni lotum et curatum et aromate conditum maximoque totius populi planctu ecclesie est illatum. Dubitatum tamen primo est, ubi reponi deberet, eo quod ipse vivus, utpote curam corporis nullam habens, nichil de loco sepulture sue precepisset. Tandem vero omnium animis divina inspirante gratia sedit, nusquam eum honestius tumulari posse quam in ea basilica, quam ipse propter amorem dei et domini nostri Ihesu Christi et ob honorem sancte eterne virginis genitricis eius proprio sumptu in eodem vico construxit. In hac igitur eadem basilica debita cum reverentia in lacrimis et suspiriis nobilium et ignobilium, in planctu generaliter cleri et populi, in lamentatione viduarum orphanorum et pupillorum, in eiulatu et fletu omnium piissimus pater et consolator cunctorum est sepultus, arcusque super tumulum ipsius deauratus cum imagine et titulo est exstructus. Titulus igitur ille hoc modo descriptus est: Sub hoc conditorio situm est corpus Karoli magni atque orthodoxi imperatoris, qui regnum Francorum nobiliter ampliavit et per annos XLVII feliciter rexit. Decessit septuagenarius anno domini octingentesimo quarto decimo indictione septima quinto Kalendas Februarii. Post huius igitur sanctissimi imperatoris obitum tanta ad sui corporis presentiam christifidelibus prestantur patrocina, ut vere sanctis agnoscat vivere meritis, qui tantis fulget exemplis. Quem etsi tortura penarum non effecit martirem, devotio tamen consecravit in confessorem, quem Saxonum populus caractere fidei ipso auctore insignitus una cum

aliis quampluribus apostolice dignitatis consortem predicavit. In illa denique basilica, ubi eius venerantur patrocina, quicquid fide petitur invenitur et quod devoto speratur studio, effectu desiderabili prestatur.

XVII. Cognosce te ipsum.

Fidelis igitur sermo et omni acceptione dignus de vita et moribus signisque celestibus sanctissimi imperatoris Karoli magni pro minima gestorum eius parte inopia librorum nos angustante productus ad nostri temporis digne memorabiles eventus usque defluxit, quos etiam oportunitas congruo nature dicendi ordine oblata evolvere zelo karitatis impellit. Audivimus namque et celebri sermone diu multumque apud nos vulgatum idoneorum et fidelium virorum relatione didicimus nostris temporibus Aquisgrani gloriosum contigisse miraculum, quod ad laudem dei et beatissimam memoriam orthodoxi Karoli magni sub silentio premere nullatenus presumpsimus, ne iudicio dominice pecunie in terram defosse merito arguamur. Fuit igitur in prefata regia civitate adolescens quidam, iuvenis quidem etate, clericus professione, subdiaconus ordine, Guibertus nomine, cuius vita plerumque nimis fuerat dedita inconsulte et intemperanti lascivie. Accidit autem forte die quadam prefatum clericum sanctam Aquensem non orationis causa sed ex consuetudine sola intrare ecclesiam, quinetiam ausu temerario nocturni admissi excessu neglecto sacrarium contra reverendam loci eius et clericorum consuetudinem irrumpere presumpsit et ante venerandam effigiem venerabilis Karoli reclinato capite propter noctis precedentis vigilias sompno dormitionis irreverenter et infruite id est imprudenter oppressus somnum mortis adinvenit. Repente enim manus quedam, ut viderunt qui hoc nobis retulerunt, prefatum iuvenem super quoddam scrinium in prefato venerabili oratorio reclinatum tanta virtute repulit, ut longe a loco incircumscripse reclusionis reiecerit in opposito ad verse partis. Subito igitur ibidem gravi egritudine oppressus sui excessus errorem humiliter confessus pauco dierum numero interposito divine ultionis iudicio condempnatus viam universe carnis est ingressus, ceteris exemplum debite relinquens reverentie. Prefatam vero iuste ultionis manum scolares quidam tunc forte presentes viderunt et pavidi trepidique ac profugi quod viderant palam vulgaverunt, quidam etiam divinitus visione tali ammoniti secularis vite habitum mutaverunt.

XVIII. Diligite iusticiam, qui iudicatis terram.

Brevi autem temporis successu accidit quendam virum facie venustum, morum honestate et urbanitate affabilitatis verendum, Aquisgrani venire, qui generis quidem stemmate clarus merito argui poterat et possessione rerum fuisse non modicus. Erat vero Teutonicus, ut ipse asserebat, de Teutonica Burgundia oriundus, miles officio, Thiethmarus nomine. Hic igitur cuiusdam prepotentis comitis terre sue violenta invasione possessionibus suis iniuste exheredatus, omnibus rebus suis immisericorditer spoliatus cum spiritualis aut materialis gladii nusquam implorare posset clementiam, ut condignam de dampno et iniuria sua reciperet iusticiam, votivo affectu, spe firma, fide non ficta ad iustissimi Karoli divina revelatione ammonitus apud Aquasgrani tandem convolvavit suffragia. Positis igitur ex habundantia magis cordis quam rerum ante venerandam effigiem prefati imperatoris sumptuosis luminaribus in multa et devotissima missarum et orationum continuatione, item ieiuniorum inrequieta afflictione, elemosinarum quoque, prout possibile exuli

fuerat, largitione aliquot ibidem expletis diebus nocturne visionis consolatorio ammonitus oraculo, dum forte cernuus in multa lacrimarum profusione inter luminaria dormitaret medius, ampliori spe et meliori fide roboratus repatriavit. Eodem autem referente post anni circulum ad beati Karoli gloriosam memoriam reverso certissime comperimus, quia precibus et meritis iustissimi imperatoris ampliorem iusticie satisfactionem consecutus fuerit, quam vel sperare vel orare presumpserit. Non solum enim sua plene et integre cum omnimoda satisfactione gloriabatur se recepisse, sed etiam sue possessionis suarumque rerum violentum invasorem dignas digne ultionis merite violentie penas sub publico populi testimonio miserrima morte protestabatur expendisse. Insuper etiam brevi successu temporis nullum heredum sui iniuriatoris usquam in terra illa asseruit comparere. Annuatim namque, quotquot denuo vixit annis, diem memorie beatissimi Karoli devotissimus obibat, insuper etiam ad laudem et gloriam tanti sui ultoris liberali munificentia copiosam in pavimento ecclesie plerumque nummorum basilensium sparsit pecuniam.

XIX. De beata visione translationis imperatorie.

Inter tanta tamque preclara dei magnalia, quibus in suo fideli athleta divina usquequaque resplenduit clementia, leto et pene immortalis tripudiavimus gaudio exultantes in domino, qui beatissimi sui Karoli beatam vere translationem sua mirabili virtute mirabilis ipse mirabiliter canonizare dignum iudicavit. Eam igitur tam celebrem, tam gloriosam divine maiestatis operationem ad posteros usque transmittere, quantum in nobis, et scripto eternare affectu caritatis intendimus, quatinus ubique et semper ammiranda dei potentia constantius et devotius predicetur. Gloriose etenim quamplura prefate canonizationis insignia sub silentio prementes aliquid in lucem proferendum et late longeque in fines orbis personandum divine nutu providentie evenisse sub fideli testimonio perscripsimus. Tercia namque nocte post exaltationem karissimi deo Karoli magni tres candelae divinitus accense supra pinnaculum templi mirabili fulgore mirifice fulgurantes a multis gentibus et populis vise sunt in gaudio exultationis. Eadem vero tria celestis splendoris luminaria ter quasi extincta tertia revolutione crucem turris eiusdem ecclesie in girum ambierunt et loca late longeque distantia nova novi luminis claritate in novum nove translationis gaudium stupescente noctis caligine illustraverunt. O ammiranda, o veneranda sancte trinitatis trina operatio. O vere beata beate canonizationis exaltatio divino celitus comprobata testimonio, que trino trium luminum ambitu nocte tertia gloriose est revelata et celitus sancte trinitatis in omnibus oraculo roborata. Vere igitur exultandum et gaudendum sibi constanter noverit in domino ille verus Christi cultor, Romanorum imperator augustus, qui eiusdem translationis in spiritu sancto fuit auctor, cuius summe trinitatis deus tam manifestis indiciis predicatur assertor. Eadem igitur tanta tamque beata revelatione idem imperator merito exhilaratus et inestimabili repletus gaudio preter cetera sue imperialis munificentie ampla et larga munera annuatim decem marcas ad usus refectorii tam canonicis quam hospitibus clericis obtulit et hanc suam largitionem firmam et perhennem in remedium anime sue suorumque instituit.

Sed iam quia continua series operis in nostri temporis eventus usque defluxit, finem presenti negotio imponentes veniam non cuiusquam prolixitatis sed circumcise et intercise brevitatis imploramus, eo quod de innumera sanctitatis beatissimi Karoli magni multitudine perpauca attigimus. Vix enim sanctitatis imperatorie et laudabilium ipsius morum et celestium signorum in

eius gloriam conscriptorum summam degustavimus; qua in re id nobis solatium relinquimus, quod Christi fideles in laudem et honorem celeberrimi eiusdem principis constantius et devotius animatos esse in domino confidimus et exemplo nostro lectores et scriptores ad hec et his similia excitavimus, quibus sine invidia in his hiantia supplere intervalla annuimus. Consulto vero humane imperfectionis defectu non maciem nostre orationis sed ardentem affectum nostre intentionis pii iudices advertant et approbent, et qui sperant idem in similibus nostrum sudorem degustent et suppleant. Sunt enim et alia quamplura, que preterea in gestis Francorum et ante nostra tempora, nostris quoque diebus divinis laudibus plena audivimus et cognovimus passim et varie in odorem suavitatis meritis eiusdem iustissimi imperatoris mirifice et magnifice obtigisse, quibus omnibus et singulis gloriosus et mirabilis in sancto suo deus apparuit et cotidie sue benignitatis fecunda revelatione apparere non desinit, cui decus honor et imperium per infinita secula seculorum. Amen.